

O·J
INTER·FOLIA·FRVCTVS



FRANCISCI KERN

QVAESTIONVM XENOPHANEARVM

CAPITA DVO

QVIBVS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

INAVGVRATAE ANTE HOS CCCXXI ANNOS

SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS

A. D. XII Kal. IVNIAS A. MDCCCLXIIII

RITE CELEBRANDAM

INDICVNT

ET

AD RECITATIONES ET ORATIONES DISCIPVLORVM

EX OMNIBVS CLASSIBVS ELECTORVM

AVDIENDAS

INVITANT

RECTOR ET COLLEGIVM

SCHOLAE REGIAE PORTENSIS

NVMBVRGI
TYPIS HENRICI SIELING
1864

Xenophaneorum decretorum cognitionem utrum hauriendam statuamus ex ipsius philosophi reliquiis, quae nec multae neque maximam partem graues ad nostram peruenerunt aetatem, et ex rarissimis locis, quibus Aristoteles et Plato de eo mentionem faciunt, adhibitis illis solis scriptoribus, qui nihil afferant nisi quae aut plane consentire uideantur cum uerbis utriusque philosophi aut ita certe sint comparata, nulla ut accedat Xenophanis doctrinae lux prorsus noua his nouis testimoniis, nedum auctoritas Aristotelis iacturam aliquam faciat, an nobis inquisituris in placita Xenophanea liceat sequi auctoritatem etiam scriptoris libelli *περὶ Ξενοφάνους περὶ Ζήνωνος περὶ Γοργίου*, Simplicii Bessarionisque, res est controuersa inter uiros doctos, ex quo tempore Fuelleborn (liber de Xenophane, Zenone, Gorgia Aristoteli uolgo tributus passim illustratur a G. G. Fuelleborn. Halae Saxon. 1789) demonstrasse sibi uisus est huius libelli non solum capp. III et IV, hac in re quidem secutus Fabricium et Tiedemannum atque refellere studens Bruckerum et Meinersium, qui codicum plurimorum auctoritate confisi illic de Zenone agi uoluerunt, sed etiam capp. I et II pertinere ad Xenophanem. Docte quidem ille et acute hac de re disseruit (p. 18 seq.); postquam uero doctius et acutius Spalding (Comment. in primam partem libelli de Xenophane, Zenone et Gorgia, praemissis uindiciis philosophorum Megaricorum. Berol. 1793) argumentis firmissimis demonstrauit primam libelli partem (c. I et II) nec Zenonis nec Xenophanis philosophiam continere posse, sed ad Melissi decreta necessario esse referendam, neque inter uiros doctos exstitit quisquam, qui illius argumentationem improbaret et Fuelleborn ipse non dubitauit sententiam mutare mutatamque uiris doctis proponere (Beytraege zur Gesch. der Philos. 1796 t. I p. 63 not.).

De capp. I et II igitur nunc quidem omnes consentiunt, de capp. V et VI, quin in eis Gorgiae placita a scriptore proposita sint, numquam quod sciam dubitatum est; sed utrum in capp. III et IV Zenonis decreta inesse existimandum sit an Xenophanis doctrina tradi uideatur, etiam post Zellerum, qui hac de re uberius disputans (Philosophie der Griechen I, 366 seqq.) de Zenone ibi agi sibi uidetur euicisse, iure ambigi potest; atque cum mihi quidem persuasum sit non omnia uiri doctissimi argumenta ita comparata esse, ut refelli nequeant, immo ueri similius esse capp. III et IV de Xenophane agi, hac in commentatione mihi proposui uirorum doctorum iudicio meam hac de re sententiam proponere, id unum persuasum habens fore, ut

argumentationibus meis Zelleri sententia, si non refutata et diluta, at certe infirmata et labefactata uideri possit ac talis, ut haud indigna sit, quae denuo exactissimo iudicio examinetur.

Quoniam uero ex ipso libello, qui Aristotelis nomen in plerisque codd. in fronte gerit, argumenta eaque non contemnenda petita sunt, (sufficit mentionem fecisse unius loci p. 979, a, 4. Bekk.) praemittam annotationes ad capp. III et IV, in quibus haud scio an nonnihil contulerim ad uerborum contextum et interpretandum et emendandum. Nam in libello tam foede deprauato etiam coniecturis opus esse, post Sylburgium, qui hunc libellum emendare idem esse censebat atque carcinomati manum admouere, nemo quisquam negauit.

CAPVT I

Annotationes ad libelli Aristotelici *περὶ Ξενοφάνους, περὶ Ζήνωνος, περὶ Γοργίου* capp. III et IV.

p. 977, a, 14. Bekk. *ἀδύνατόν φησιν εἶναι, εἴ τι ἔστιν, γενέσθαι, τοῦτο λέγων ἐπὶ τοῦ θεοῦ.*

Verba *εἴ τι ἔστιν* Brandis (Commentationum Eleaticarum pars I 1813 p. 27) a librario temere repetita censet ex primo huius libelli capite; nam aliena ea debere uideri ab antiquissimo philosopho. Hac in dubitatione etiam postea mansisse uidetur haec uerba germanice expressa signo interrogandi notans (Geschichte der Entwickelungen der griech. Philosophie I, p. 84). Sed iam ante Mullachium (Fragmenta philosophorum Graecorum p. 293) Karsten (Xenophanis Colophonii carminum reliquiae 1830 p. 100) recte explicauerat uolgatam lectionem. Fallitur enim Mullach, qui illum *τι* expunxisse tradit; neque enim hanc uocem neque eam, quae praecedit, *εἶναι* Karsten deleuit, sed his duabus uocibus deletis dictionis concinnitati melius consuli arbitratus est: at urgendam esse in his concinnitatem ipse negauit.

p. 977, a, 17. *οὔτε γὰρ ὅμοιον ὑφ' ὁμοίου προσήκειν τεκνωθῆναι μᾶλλον ἢ τεκνῶσαι (ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις ἢ ὁμοίοις ὑπάρχειν πρὸς ἄλληλα) οὔτ' ἂν ἐξ ἀνομοίου τὸ ἀνόμοιον γενέσθαι.*

Codex Lipsiensis, qui ceteros superat auctoritate, teste Beckio*) (cf. Mullach. l. l.) praebet *ταῦτα γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις καὶ ὁμοίως.*

Olearius uero, qui iam ante Beckium etsi minus accurate scripturae uarietatem ex Lipsiensi exemplari excerpsit, repperit in codice *ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις ὁμοίως* (omisso uocabulo *καί*) eumque secuti sunt Brandis, qui ad locum satis obscurum explicandum nihil attulit, et Karsten, qui melius fortasse scribi censebat *ἁπάντῃ ἴσως τοῖς ὁμοίοις*. Bekker tamquam hic dubitaret de fide Olearii merito suspecta nullam scripturae uarietatem annotauit.

---

*) Solemnia doctorum philosophiae et magistrorum artium a. d. XIV Febr. MDCCXCIII antiquo ritu creandorum indicit Ch. D. Beckius. Praemissa est uarietas lectionis libellorum Aristotelicorum e codice Lipsiensi diligenter enotata.

Recte sententiam loci ad fidem Olearii constituti iam Tiedemannum explicasse iudicat Fuelleborn (liber de Xenophane etc. p. 29) qui hance eius interpretationem laudat: „Quae sunt similia et eadem, de eis dici similia eadem ratione debent; quodsi itaque uni horum competat ut gignat, idem competit et alteri, et si uni competat ut gignatur, dicendum id quoque de altero est: adeoque nulla plane, cur alterum gignere, alterum esse genitum dicamus esse ratio potest. Hinc similia nec gignere se nec gigni a se inuicem conficitur.“ Non infitiabor uim demonstrationis, de qua quidem fortasse nemo dubitauit, a Tiedemanno recte perspectam esse; sed quomodo hac uerbosa explicatione uerbis ipsis Aristoteleis aliquid lucis affulgere possit, non intellego. Mullach Bergkii coniecturam *ταῦτα γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις καὶ ὁμοίοις οὐχ ὑπάρχειν πρὸς ἄλληλα* (De Aristotelis libello de Xenophane, Zenone et Gorgia, Marburgi 1843 p. 31) haudquaquam necessariam et ne accommodatam quidem tenori argumentationis in textum recipere non dubitauit. Equidem crediderim a lectione exemplaris Lipsiensis non esse recedendum, siue ex Olearii, siue e Beckii auctoritate locum constituerimus; utramque enim lectionem ferri posse existimo. Fortasse autem ex utraque locum rectissime constituemus scribentes *ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις καὶ ὁμοίως ὑπάρχειν πρὸς ἄλληλα.* Sententia erit: Omnia enim ita, ut prorsus eadem sint, de aequalibus etiam pari modo dici atque quod alteri tribuatur, et alteri tribui oportere. Ex hac interpretatione intellegetur me censere uocabulum *ταὐτά* praedicatiue, quod uocant, esse positum. Ea igitur est notio aequalitatis secundum Xenophanem, ut inde fieri non possit, ut rerum aequalium altera gignens, altera genita dicatur. Qua de causa quicunque ex aequalibus aequalia procreari dicit, parum perspexit hanc aequalitatis notionem ubique ualentem, qua suo iure utitur scriptor ad peculiare illud stabiliendum. Si hanc esse uerborum sententiam statuerimus, cui quid obstet non uideo, miror a Bergkio non aptam eam esse uocatam. Si quis autem illud *καί* Olearium secutus deleri maluerit, non impedio: maiorem autem offensionem habet pro *ταὐτά* scribere *ταῦτα*, quam uocem Mullach et Bergk in textum receperunt; nam cui non mirum uidebitur scriptorem uoluisse nihil praeter duas illas notiones *τεκνῶσαι* et *τεκνωθῆναι* significari uerbis *ταῦτα ἅπαντα*?

Ita codicum auctoritate non neglecta sententiam habemus meliorem et aptiorem illa, quam Bergk coniectura a Mullachio probata loco, ut opinatur, corrupto subicere uoluit. Quisquis enim hanc coniecturam probauerit, metuo, ne temere idem per idem scriptorem hic demonstrasse statuat, cum uelit hanc esse ratiocinationem: aequalibus non possunt procreari aequalia, quia haec omnia *(τεκνῶσαι* et *τεκνωθῆναι)* de aequalibus dici non possunt. Accedit, quod scrupulum mouent coniuncta illa *ἴσοις καὶ ὁμοίοις*; nam aut est ubertas locutionis, qua in tam ieiuno scriptore iure offendamur, aut *ὅμοιον* aliud quid est atque *ἴσον* (non aequale sed simile) quod quam alienum sit a nostro loco, quis est quin intellegat?

Quod Bergk e Simplicio affert in Aristot. Phys. fol. 6 a *ἀλλὰ τὸ μὲν ὅμοιον ἀπαθές φησιν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου,* non obstat interpretationi nostrae; alterum uero locum ab eo laudatum (Sext. Empir. Hypot. I, 225), cum omnino huc non pertineat, miror etiam a Mullachio allatum esse.

p. 977, a, 19. *εἰ γὰρ γίγνοιτο ἐξ ἀσθενεστέρου τὸ ἰσχυρότερον ἢ ἐξ ἐλάττονος τὸ μεῖζον ἢ ἐκ χείρονος τὸ κρεῖττον, ἢ τοὐναντίον τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων, τὸ οὐκ ὂν ἐξ ὄντος ἂν γενέσθαι· ὅπερ ἀδύνατον.*

Ita codex Lipsiensis, quem iure secutus est Bekker. Quae fuerint uirorum doctorum de hoc loco constituendo sententiae, Mullach secutus Karstenium parum recte narrat. Iam enim ante Karstenium coniecerat Sylburg *τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος*, Tiedemann *τοῦτο ἐξ οὐκ ὄντος* (cf. Fuelleborn lib. de Xenoph. p. 29) Brandis mauolt *τὸ οὐκ ὂν ἐξ ὄντος καὶ τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος*, eius coniecturam probat Cousin (Fragments philosophiques 1847. t. 1. p. 46.). Primus, quod sciam, libri Lipsiensis auctoritatem secutus est Fuelleborn l. l.

At non est, quod uirum doctum propter omissam Fuellebornii sententiam uituperes; nam ipse (Fragmm. philoss. Graecc. p. 271) fatetur se Fuellebornii copiosam commentationem diu auide quaesitam nancisci non potuisse. Cuius in possessionem ut uenirem cum mihi contigerit, meum esse puto uiri docti sententias, quae quidem ad capp. III et IV pertinent, enarrare, ne eis quidem omissis, quas ipse non comprobauerim. Vbicunque enim de Xenophane agitur, non reticendum est Fuellebornii nomen, qui accurate et acute de illo disseruit. Nam quod Ludouicus Berg, qui commentationem de Xenophane Colophonio a. 1842 emisit (Heidelbergae apud Groosium), de uiro bene merito iudicauit (p. 9. „quae Fuellebornius in enucleanda philosophia Xenophanis praestiterit, non magni aestimanda sunt“) uix dignum est, quod commemoretur. Perraro enim inuenies libellum, qui tantam iudicii temeritatem, tantam orationis barbariem ac paene inauditam, tantam ignorantiam rerum apud omnes, qui in his studiis uersantur, peruolgatarum, tantam denique arrogantiam auctoris ostendat. Paenitet temporis in hac commentatione legenda consumpti. Quo in iudicio me non nimium esse, una quaeuis libelli pagina ei, qui credere dubitauerit, testis erit idonea.

Displicet Sylburgii et Karstenii coniectura a Mullachio in textum recepta, quae non firmatur Simplicii uerbis l. l. *εἰ δὲ ἐξ ἀνομοίου γίγνοιτο, ἔσται τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος*. Simplicius enim in uerbis praecedentibus generatim et summatim de inaequalibus loquitur, apud Aristotelem uero discernitur, utrum praestantiora fiant e deterioribus an deteriora e praestantioribus; illius autem condicionis ratione non habita ad hanc solam respicit scriptor et eis uerbis utitur, quae cod. Lips. exhibet, nihil dubitans, quin e contraria condicione contrarium illud a quouis facile cogi et tacite adici possit. Quod si quis contra aequitatem a legentibus postulari crediderit, Brandisii coniecturam sequatur, quippe quae orationem plenam reddat et integram. Verum minime probandum est, quod placuit Sylburgio Karstenio Mullachio, scribendum esse *τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος*, quia sic inepte conclusio dirimitur a uerbis proximis.

p. 977, a, 27 seq. *τοῦτο γὰρ θεὸν καὶ θεοῦ δύναμιν εἶναι κρατεῖν ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι καὶ πάντα κρατεῖσθαι εἶναι.*

Excepto codice non superstite, quo utebatur Felicianus, qui postrema uerba *καὶ πάντα κρατεῖσθαι εἶναι* in exemplari suo non uidetur legisse, nulla est lectionis uarietas. Fuelleborn haec uerba delenda esse censet; Brandis, qui intellegere sese negat, quomodo quattuor haec

uerba in textum possint uideri irrepsisse, conicit legendum *καὶ πολλὰ κρατεῖσθαι εἶναι* i. e. et multa ita se habere ut regantur. (cf. commentt. Eleatt. p. 31.) Karsten scribi uolt *πάντων κράτιστον εἶναι*, Cousin Boissonadii sententiam probat corrigentis *καὶ πάντα κρατεῖσθαι ἑνί* (Cousin Fragmm. philoss. p. 48. „Je dois à M. Boissonade la correction fort spécieuse"). Mullach secutus Karstenium, cuius coniecturam in textum recepit, hoc unum omnium maxime cum uerbis praegressis conciliari posse confirmat rationem quidem in re dubia afferens nullam. Putauerim loci sententiam a Brandisio solo perspectam esse, sed fortasse ne coniectura quidem opus erat. Quidni ferri possit in scriptore, qui modo dixit *θεός ἐστι κρατεῖν* etiam illud *πάντα ἐστὶ κρατεῖσθαι?* Ea est dei notio, ut regat, ceterarum autem rerum ea est condicio ut regantur. Voce *πάντα* enim non omnes res nulla excepta, sed omnes res praeter deum ipsum significari etiam ei concedent, qui Karstenium et Boissonadium secuntur. Si cui autem haec interpretatio, quam ipse non propono nisi dubitanter, minus placuerit, cum Fuellebornio rectius, opinor, uerba obscura delebit, quam coniecturas Karstenii et Boissonadii probabit. Ad illum enim si nos adiunxerimus, statuamus oportet scriptorem bis idem dixisse, sin autem locum, ut Boissonade iubet, correxerimus, metuo ne in textum inseramus et sententiam et locutionem a Xenophane alienam. Bergk ad hunc locum nihil annotauit, immo consulto et hic locus et ceteri huius capitis ab eo omittuntur, „quia facili plerumque negotio corrigi possint" (p. 31).

p. 977, a, 29. seqq. *πλειόνων οὖν ὄντων, εἰ μὲν εἶεν τὰ μὲν ἀλλήλων κρείττους τὰ δὲ ἥττους, οὐκ ἂν εἶναι θεούς· πεφυκέναι γὰρ θεὸν μὴ κρατεῖσθαι. ἴσων δὲ ὄντων, οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν δεῖν εἶναι κράτιστον.*

Id quod secundo loco ponitur *ἴσων δὲ ὄντων κ. τ. λ.* iam in praecedd. expeditum moleste repetitur. cf. 24 seqq. *εἰ γὰρ δύο ἢ ἔτι πλείους εἶεν, οὐκ ἂν ἔτι κράτιστον καὶ βέλτιστον αὐτὸν εἶναι πάντων. ἕκαστος γὰρ ἂν θεὸς τῶν πολλῶν ὅμοιος ὢν τοιοῦτος εἴη.* Quodsi hic demum diserte diuisio bipertita legentibus proponitur, nulli dubium erit, quin argumentationis tenor uideatur turbatus. Et ipsi philosopho haud scio an in mentem uenerit totam ratiocinationem mancam esse et uitiosam, ideoque idem identidem confirmauerit.

Verba *οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν δεῖν εἶναι κράτιστον* nonnullis interpretibus corrupta uidebantur. Tiedemann (cf. Fuelleborn p. 30) „legendo *φύσιν κρατίστην* omnia expediri" censebat, nimirum uerbis *δεῖν εἶναι* expunctis. Fuelleborn nihil opus esse emendatione ratus ita coniungit: *οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν δεῖν, (ὥστε) εἶναι κράτιστον*; quod ut ferri possit, interpretandum est „fieri non posse, ut deus naturam seruaret." Brandis Fuellebornii explicationem iure improbans conicit *οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν, ἣν δεῖ, εἶναι κράτιστον.* Karsten, qui fortasse Fuellebornii commentationem latine scriptam, quam saepius laudaui, non ipse inspexit, quoniam eius mentionem non facit in praefatione, tamen e Brandisii annotationibus poterat doceri se eandem explicationem proponere quam Fuellebornium. Recte uero monuit Mullach uerborum collocationem huic interpretationi non suffragari, recteque sententiam loci uidetur intellexisse latine reddens: „si plures sint dei inter se aequales, non eam naturam deum esse

habiturum, ut necessario potentissimus sit." Quin ita uerba explicari possint, mihi non est dubium (cf. Matthiae gramm. § 542, 1. b. α); sed nescio an cui magis arrideat Beckii emendatio (cf. Mullach. p. 294) illud *δεῖν* tamquam inepte additum deleri iubentis. Confirmatur enim interpretatione Feliciani: „si sint aequales, non fore ea natura deum, ut praestantissimum omnium sit."

p. 977, a, 34 seqq. *ὥστ' εἴπερ εἴη τε καὶ τοιοῦτον εἴη θεός, ἕνα μόνον εἶναι τὸν θεόν. οὐδὲ γὰρ οὐδὲ πάντα δύνασθαι ἂν ἃ βούλοιτο· οὐδὲ γὰρ ἂν δύνασθαι πλειόνων ὄντων ἕνα εἶναι μόνον.*

Non assentior Mullachio, qui contra omnium codicum auctoritatem *τοιοῦτος* in textum recepit, cum *τοιοῦτον* nihil quicquam offensionis habeat. Quod enim Felicianus *τοιοῦτος* legisse u i d e t u r, non tanti momenti est, ut propterea codicum adhuc superstitum auctoritate decedamus.

Fuelleborn (p. 31) extrema uerba luxata esse censet et ita ea reponi uolt: *οὐδὲ γὰρ ἂν δύνασθαι ἃ βούλοιτο, οὐδὲ πάντα δύνασθαι πλειόνων κ. τ. λ.* sed ferri non potest haec tautologia: eum non posse quae uoluerit nec posse omnia. Brandisii coniecturam *οὐδὲν γὰρ ἂν δύνασθαι πλειόνων ὄντων ἕνα μόνον* „leuiorem quidem mutationem" esse unus quisque concedet; sed ratiocinationem ne sic quidem recte procedere manifestum est. Ceterum nescio, cuius codicis auctoritate nisus Brandis *εἶναι* ante *μόνον* tacite expunxerit.

In constituendo autem toto loco Bekker uidetur esse secutus cod. Palatinum Vaticanum 162 (Ba) et Vaticanum 1302 (Ra) ratione nulla habita codicis Lipsiensis, cuius lectionem Mullach Beckio teste hanc esse post *βούλοιτο* dicit: *οὐ γὰρ ἂν δύνασθαι πλειόνων ὄντων· ἕνα ἄρα εἶναι μόνον.* Placuit haec lectio Mullachio. Verum haud mediocrem offensionem praebet uocabulum *γάρ*, bis ita positum, ut argumentum posterius prorsus idem sit atque prius. Si quis enim alterum *γάρ* excusaturus nos delegauerit ad uerba *πλειόνων ὄντων* adiecta posteriori argumento, respondebimus haec uerba non minus apte priori adiungi potuisse nullis praeterea uerbis additis.

Itaque aut delenda sunt *οὐ γὰρ ἂν δύνασθαι* id quod iam Karsten suasit, aliter quidem et minus recte, opinor, locum interpretatus, quia nec *ἄρα* recepit et *εἶναι* ante *μόνον* expunxit, aut probanda uidentur, quae Bekker typis expressit. Quam quidem lectionem si ueram esse putabimus, concedamus oportet scriptorem fallaci quadam conclusiuncula atque captiosa usum esse; quod cur plane incredibile sit, equidem non perspicio, cum tale quid in Zenonis et Melissi argumentationibus occurrere — omitto posteriores — testimoniis fide dignissimis constet. Hanc autem uidetur scriptor proposuisse ratiocinationem: deum non omnia posse, quae uellet; nam si plures essent, id ipsum eum non posse, ut unus esset. Tolli igitur dei omnipotentiam pluribus deis extra deum unum positis; nam ipsa notione dei ut omnipotentis contineri eius singularitatem.

Apparet totam hanc conclusionem iacere; nam ex omnipotentia eodem iure efficitur et cogitur deum non esse singularem, sed praeter eum alios esse; potest enim in hunc fere

modum concludi: si deus unus esset nec alius quisquam praeter eum, deum id ipsum non posse, ut unus esset e pluribus. Similiter etiam omnipotentia tolli potest fallaci conclusione: deus non poterit umquam fieri sibi contrarius; ergo non est omnipotens.

Propter repetitum illud *οὐδέ (οὐδὲ γὰρ οὐδὲ πάντα δύνασθαι ἄν)* haud scio an iure sibi uideatur Mullach hoc loco uestigia sermonis poetici deprehendisse; uerum ab Aristotele „magna ex parte Xenophanis uerba hic seruata esse et forsitan haec ipsius philosophi poetae fuisse"

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ δύναιτό κε πᾶν τελέειν θεὸς οἶος·
οὐ γὰρ ἔχοι δύναμιν ταύτην πλεόνων ἐν ὁμίλῳ·
οὕτω μοῦνος ἐὼν πάντων κρατέει φρεσὶν ᾗσιν

nulli persuadebit, licet uocem *οἶος* sic usurpari posse concesseris, ut eius uis sit „unus e pluribus;" at uero ne posse quidem arbitror.

p. 977, a, 36 seqq. *ἕνα δ' ὄντα ὅμοιον εἶναι πάντῃ ὁρᾶν τε καὶ ἀκούειν, τάς τε ἄλλας αἰσθήσεις ἔχοντα πάντῃ· εἰ γὰρ μή, κρατεῖν ἂν καὶ κρατεῖσθαι ὑπ' ἀλλήλων τὰ μέρη θεοῦ ὄντα.*

Karsten *ὅμοιον πάντῃ* dici putat id quod sit nullo partium uiriumque discrimine, sed una naturae ui continuatum, atque hanc explicationem uolt comprobari loco Parmenideo (fragmm. Parm. u. 78. Mull.) *οὐδὲ διαίρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστιν ὁμοῖον.* Mullach eum sequitur eodem loco allato. Videtur autem uterque, quippe qui nos ad haec uerba Parmenidis delegauerit, censuisse non modo partium discrimen, sed partes ipsas tolli a Xenophane. Idem diserte contendit Ritter (Geschichte der Philosophie I. p. 452): „Damit haengt aber auch seine Lehre zusammen, dass Gott keine theile habe, sondern sich durchaus gleich sei; denn wenn er theile hätte, so wuerde der eine theil von dem andern beherrscht werden und die andern beherrschen, was unmoeglich sei." Quamuis autem ueri simile sit ab auctore disciplinae Eleaticae (cf. Plat. Soph. p. 242 D. *τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος, ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων*) partes in uno positas esse nullas,*) tamen huic opinioni aduersatur cum noster locus *τὰ μέρη θεοῦ ὄντα*, tum id quod scriptor libelli in cap. IV refutandi causa ex ipsius Xenophanis decreto uidetur coegisse p. 979, a, 3 seq. *τί κωλύει εἰς ἄλληλα κινουμένων τῶν μερῶν τοῦ θεοῦ κύκλῳ φέρεσθαι τὸν θεόν;* hunc locum e Bergkii emendatione scripsi, quia a Bekkero, qui lacunis non expletis ea quae codices praebent satis habebat typis expressisse, uerba prorsus mutila et inania data sunt.

Rectene quidem scriptor libelli hic et aliis locis sententias Xenophanis uersibus inclusas, quae uix tales esse poterant, ut ad rationem illam dialecticam, ne dicam argutulam atque captiosam accommodatae essent, tradidisse uideatur, in dubitationem potest uocari et reuera a uiris doctis uocatum est; nimirum ex ipso libello posse concludi eum incertum fuisse de philo-

---

*) Fortasse ratiocinatio, quae abhorrere uideatur a doctrina Eleatica, parum accurate a scriptore tradita est. Conieceris enim hanc fuisse argumentationem iustam et integram: si deum ubique uidere et audire negauerimus, partes ponemus in deo easque tales, ut earum aliae regant, aliae regantur.

sophi decretis postea uidebimus. At uero in uerbis supra positis, si nihil cognoscere uoluerimus nisi ipsius scriptoris opinionem, non philosophi de quo agit decretum, eam non inesse sententiam, quam Ritter in eis repperit atque ni fallor etiam Karsten et Mullach, mihi quidem exploratum est.

p. 977, b, 1. πάντῃ δ' ὅμοιον ὄντα σφαιροειδῆ.

Persuadere mihi non possum talem Xenophanis doctrinam fuisse, ut reuera dei siue eius, quod unum est, formam esse conglobatam doceret, nisi forte eum uirum, quem sapuisse et circumspecte iudicasse aliunde satis constet, hac in decretorum parte plane delirasse putauerimus. Non est deus conglobata figura secundum Xenophanem, atque haud scio an non sit „deuius recti", qui quale id unum sit comprehendi posse mente humana Xenophanem negasse statuit. Quae enim philosophus de deo affirmat haec tria sunt: esse eum aeternum, unum, omnipotentem; ceterum id unum agit, ut notiones quasdam in deum cadere neget. cf. fragm. 14. Mullach.

καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται
εἰδώς, ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων·
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Verum tamen, si id quod natura ipsa extra omnem conspectum posuit et procul a nostra cognitione, imagine repetita e rebus, quas oculis cernimus, depingere et exprimere uoluerit (cf. Arist. rhet. p. 1412, a 11 seq. καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ τὸ ὅμοιον καὶ ἐν πολὺ διέχουσι θεωρεῖν εὐστόχου et poet. p. 1459, a, 7 seq. τὸ γὰρ εὖ μεταφέρειν τὸ τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστιν.) ecqua imagine uti poterat magis accommodata ad decretum, quod proposuit, quam figura conglobata? cf. Cic. de nat. deor. II, 47. „quid enim pulcrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum . . . . . his duabus formis (globo et orbi) contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimae" cf. Schol. Il. XIV, 200. Hunc in modum decretum illud de conglobata figura eius, quod unum est, siue dei posse certe accipi statuit Krug encycl. philos. lexic. s. u. Xenophanes: „Die behauptung, dass Gott kugelartig sei, scheint mit den uebrigen lehren des Xenophanes in widerspruch zu stehen, wenn man nicht annehmen will, dass dieser ausdruck nur bildlich von der durchgaengigen gleichheit oder aehnlichkeit des goettlichen wesens zu verstehen sei, oder sich auf den blossen sinnenschein beziehe, nach welchem wir das weltall ueber uns als ein grosses gewoelbe anschauen." Quae Krug dubitanter proponit, affirmate pronuntiat Ritter (gesch. der philos. I, 453): „ein bild der voelligen gleichheit fand er in der kugel." cf. Karsten p. 119 seq. ubi uir doctus egregie hac de re disputat.

Aliter quidem hac de re iudicat Brandis, qui Xenophanem hoc decreto relapsum esse putat in consuetudinem uolgarium cogitationum comm. eleatt. p. 38: „ita enim natura comparatum est, ut diuturno demum et sedulo cogitationis usu adhibito notiones, quas mente tantum percipimus, ab formae necessitate conemur seiungere." Cum Brandisio consentit Ueberweg, sed acutius in rationem inquirit, qua Xenophanes aut potius Zeno, cuius decreta uir doctus

quo quidem tempore haec conscribebat arbitrabatur capp. III et IV satis accurate tradi, uideatur adductus esse, ut illud unum neque aut finitum aut infinitum et conglobata figura esse diceret. cf. Ueberweg, ueber den historischen werth der schrift de Melisso, Zenone, Gorgia (in Philologo 1853 p. 110) „Er bekundet durch seine negationen die ahnung, dass etwas uebersinnliches anzunehmen sei, faellt aber bei dem versuche eine positive anschauung von demselben zu gewinnen, doch wieder in die sphaere des sinnlichen zurueck, indem er dem seienden die kugelgestalt beilegt“ et mox p. 111. „bei der kugelgestalt liess sich, freilich in aeusserlicher weise eine gewisse vereinigung des nichtbegrenztseins (da wenigstens die kugeloberflaeche nirgend in solcher weise wie etwa das quadrat bestimmte grenzlinien zeigt) mit dem nichtunbegrenztsein (da die ausdehnung der kugel nicht eine unendliche ist) annehmen.“

Recte Ueberweg mea quidem sententia exposuit, quomodo globus et finitum et infinitum imagine repraesentare posset; id unum non concesserim hanc figuram aliud quicquam philosopho fuisse nisi imaginem. Itaque miror Tennemannum concedere quidem nihil esse nisi imaginem et ab eodem eos uehementer errare dici, qui nihil nisi imaginem fuisse existiment etiam Xenophani (Gesch. der philos. I, 158.).

p. 977, b, 2 seqq. *ἀΐδιον δ' ὄντα καὶ ἕνα καὶ σφαιροειδῆ οὔτ' ἄπειρον οὔτε πεπεράσθαι. ἄπειρον δ μὴ ὂν εἶναι· τοῦτο γὰρ οὔτε μέσον οὔτ' ἀρχὴν καὶ τέλος οὔτ' ἄλλο μέρος οὐδὲν ἔχειν, τοιοῦτον δ' εἶναι τὸ ἄπειρον. οἷον δὲ τὸ μὴ ὄν, οὐκ ἂν εἶναι τὸ ὄν, περαίνειν δὲ πρὸς ἄλληλα, εἰ πλείω εἴη. τὸ δὲ ἓν οὔτε τῷ οὐκ ὄντι οὔτε τοῖς πολλοῖς ὁμοιοῦσθαι· ἓν γὰρ οὐκ ἔχει πρὸς ὅ τι περανεῖ.*

Post *ἄπειρον* u. 1 recte Brandis inseruit *εἶναι*; abesse enim uix poterat. Fallitur Mullach, qui hanc uocem etiam a Bekkero receptam dicit. Pro *πεπεράσθαι* Mullach ex auctoritate cod. Lips. recte scripsit *πεπεράνθαι*. Quae secuntur uerba in cod. Lips. *ἄπειρον δ μὴ ὂν εἶναι*, sine dubio corrupta iam ante Brandisium emendauit Fuelleborn, qui legendum censet p. 31 *ἄπειρον μὲν τὸ μὴ ὂν εἶναι.* Reliqui codd. omnes perperam *ἄπειρον γὰρ τὸ μὴ εἶναι*, quod Meiners olim correxerat *ἄπειρον μόνον τὸ μὴ ὂν εἶναι* (cf. Fuelleborn l. l.). — u. 2 *καὶ τέλος* e correctione in libro Lipsiensi scriptum esse Mullach docet; antea fuisse *οὔτε*, quod etiam nunc perspicue appareat et in caeteris membranis exstet. Miror nihil a Bekkero annotatum esse. — u. 5 e cod. Lips. Mullach pro *ὁμοιοῦσθαι* scribit *ὡμοιῶσθαι*, cum illud sit comparari et assimilari, hoc par uel simile esse; confirmatur haec scriptio lectione mendosa codicum Ba Ra Va *(ὁμοιῶσθαι)* apud Bekkerum. —

Apparet idem fuisse in Xenophanis doctrina deum et id quod est. Si enim praeter deum Xenophaneum aliae res uere essent, tota haec ratiocinatio obscura esset et perturbata; nam uerba *ἓν γὰρ οὐκ ἔχει πρὸς ὅ τι περανεῖ* quid ualeant, non uideo, si extra illud unum aliquid positum sit a Xenophane. cf. Simplic. in Arist. Phys. fol. 6, a: *τὸ γὰρ ἓν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν θεὸν ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης*. Cic. Acad. Qu. II, 37. unum id esse uerum deum, neque natum usquam quicquam et sempiternum. cf. Lescalopier. in Cic. de nat. deor. I, 28. et Menag. ad Diog. Laert. IX, 19. Tantum autem abest, ut in libello Aristotelico Xenophanes nullum

discrimen agnouisse inter deum et mundum diserte dicatur, ut contra manifestum sit scriptorem ipsum dubitasse de genuina eius doctrina. cf. p. 978, a, 2: ἔστι δ', ὡς ἔοικε, καὶ ἄλλα. κράτιστον γὰρ εἶναι κ. τ. λ. Quid, quod aeque ac Simplicius Xenophanem opposuisse tradit illud unum τοῖς πολλοῖς siue πλείοσιν. Quomodo difficultas inde exorta solui possit, non uideo, nisi hanc fere statuerimus fuisse Xenophanis de uno et multis sententiam: „quod uere est, unum est et indiuiduum. Multa quidem uidentur esse, at non sunt, licet oculis res multas cernamus.“ Id autem non contendam, haec distincte et dilucide a poeta expressa esse, immo ipsa rerum et uerborum obscuritate factum, ut postea commentatores doctissimi et acutissimi de placitis eius dissentirent. cf. Simpl. l. l: Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ὡς ἄπειρον καὶ ἀκίνητον λέγοντος αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἐν τῇ περὶ θεῶν ἀπομνημονεύει· Ἀλέξανδρος δὲ ὡς πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές. Quae mira diuersitas nescio an facillime tollatur, si alterum pro imagine habuisse statuerimus, quod proprio uerborum sensu a Xenophane dictum esse persuasum fuerit alteri.

p. 977, b, 8 seqq. τὸ δὲ τοιοῦτον ὂν ἕν, ὃν τὸν θεὸν εἶναι λέγει, οὔτε κινεῖσθαι οὔτε κινητὸν εἶναι. ἀκίνητον μὲν γὰρ εἶναι τὸ μὴ ὄν. οὔτε γὰρ ἂν εἰς αὐτὸ ἕτερον οὔτε ἐκεῖνο εἰς ἄλλο ἐλθεῖν. κινεῖσθαι δὲ τὰ πλείω ὄντα ἑνός. ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον δεῖν κινεῖσθαι. εἰς μὲν οὖν τὸ μὴ ὂν οὐδὲν ἂν κινηθῆναι· τὸ γὰρ μὴ ὂν οὐδαμῇ εἶναι. εἰ δὲ εἰς ἄλληλα μεταβάλλοι, πλείω αὐτὸν εἶναι ἑνός. διὰ ταῦτα δὴ κινεῖσθαι μὲν ἂν τὰ δύο ἢ πλείω ἑνός, ἠρεμεῖν δὲ καὶ ἀκίνητον εἶναι τὸ οὐδέν. τὸ δὲ ἓν οὔτε ἀτρεμεῖν οὔτε κινεῖσθαι· οὔτε γὰρ τῷ μὴ ὄντι οὔτε τοῖς πολλοῖς ὅμοιον εἶναι.

u. 2. οὔτε κινητὸν εἶναι· haec uerba sine dubio corrupta iam Tiedemann correxerat οὔτε ἀκίνητον εἶναι. coniectura confirmatur lectione cod. Lips. — Vtrum u. 5 scribendum sit cum Brandisio et Bekkero αὐτόν an cum Karstenio et Mullachio αὐτό, res est incerta, dum didicerimus, quorum codd. auctoritate illi αὐτόν, hi αὐτό scripserint; nam eorum nemo quicquam annotauit. Ceterum non magni momenti est, utrum in codd. inueniatur, cum et ad θεόν et ad ἕν referri possit sententia nihil mutata. — Ante αὐτόν u. 5. Karsten recte posuit ἄν, „quia ab infinitiuo εἶναι uix hoc sensu abesse potest.“ —

u. 7. Karstenio, quem Mullach sequitur, uerbum ἀτρεμεῖν refingendum uidetur in ἠρεμεῖν, cum philosophi soleant ἠρεμεῖν appellare, quod oppositum sit τῷ κινεῖσθαι. Sed cum omnes codd. ἀτρεμεῖν praebeant, dubito, num recte ἠρεμεῖν recipiatur, cum praesertim fortasse hic sicut in uerbis τεκνῶσαι et τεκνωθῆναι (cf. 977, a, 17) uocabulum poetae proprium a scriptore libelli sit seruatum. cf. Brandis, Gesch. der entwickelungen etc. I, 84.

Verba ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον δεῖν κινεῖσθαι non accurate exprimunt, quod scriptor uoluit. Cur enim n e c e s s e s i t aliud moueri ad aliud? Quidni multitudo rerum prorsus immota mente comprehendi possit? At scriptor, cum breuiloquentiae studeret, incidit in obscuritatem orationis; mihi enim non est dubium, quin haec eius sententia fuerit: motus esse non potest nisi in multitudine rerum. Si quid enim mouetur, semper alterum mouetur ad alterum. Qui igitur rerum multitudinem negauerit, eum etiam motum tollere oportebit.

p. 977, b, 18 seqq. *κατὰ πάντα δὲ οὕτως ἔχειν τὸν θεόν, ἀΐδιόν τε καὶ ἕνα, ὅμοιόν τε καὶ σφαιροειδῆ ὄντα, οὔτε ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον, οὔτε ἠρεμεῖν οὔτε ἀκίνητον εἶναι.*

Lectionem uolgatam, quam etiam a Bekkero receptam esse miror, aperte falsam esse Franciscus Patricius dudum intellexerat et pro *ἠρεμεῖν* coniecerat *κινητόν* (Discuss. Peripatt. p. 297. cf. Fuelleborn l. l. p. 31.). Hoc durius esse ratus, quam quod ferretur, Fuelleborn legendum censuit *οὔτε ἠρεμεῖν οὔτε κινητὸν εἶναι*. Hanc emendationem probauerunt Brandis et Mullach; Karsten quoque lectionem a Fuellebornio propositam in textum recepit, quamquam eam sibi satisfacere negat, quia *κινητὸν εἶναι* dici non soleat, sed *κινεῖσθαι*. Ergo illud *ἀκίνητον εἶναι* retineri mauolt, et pro *ἠρεμεῖν* scribi *κινεῖσθαι*, ut u. 9. Cum autem Fuellebornii coniectura propius accedat ad codd. lectionem, hanc sequi non dubito.

Discrepantia placitorum, quorum alterum mirum in modum aduersari uidetur alteri, cum idem dicatur esse neque finitum neque infinitum, neque motum neque immotum (Arist. Met. III, 7. p. 1011, b, 23: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ μεταξὺ ἀντιφάσεως ἐνδέχεται εἶναι οὐθέν, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ φάναι ἢ ἀποφάναι ἓν καθ' ἑνὸς ὁτιοῦν*), quomodo solui possit, recte iam a Simplicio perspectum esse existimo. Simpl. Phys. fol. 7 A: *πλὴν ὁ μὲν Ξενοφάνης ὡς πάντων αἴτιον καὶ πάντων ὑπερανέχον καὶ κινήσεως αὐτὸ καὶ ἠρεμίας καὶ πάσης ἀντιστοιχίας ἐπέκεινα τίθησιν ὥσπερ καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῇ πρώτῃ ὑποθέσει τοῦ Παρμενίδου.* cf. Karsten p. 127, qui totam hanc Xenophanis rationem breuiter ita describit:

(τὰ ἐναντία)	*ὁ Θεός·*		*(τὰ ἐναντία)*
μὴ ὄν	*ἔστι* *ἀγένητος*	*κράτιστος* *εἷς*	*πλείω*
	ἀθάνατος	*ὁμοῖος πάντῃ*	
	ἀΐδιος	*σφαιροειδής*	
ἄπειρον			*πεπερασμένον*
ἀκίνητον			*κινούμενον*

Idem autem Simplicius duos uersus Xenophaneos nobis seruauit, qui pugnare uidentur cum consilio philosophi, quo e simplici dei natura contraria omnia tollere studuerat (Phys. fol. 6 A. fragm. 4 Mull.):

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδέν,
οὐδὲ μετέρχεσθαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ.

at quae uerba his uersibus adiecit *οὐ κατὰ τὴν ἠρεμίαν τὴν ἀντικειμένην τῇ κινήσει μένειν αὐτόν φησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀπὸ κινήσεως καὶ ἠρεμίας ἐξῃρημένην*, eis etiam hanc nouam difficultatem eum enodasse mihi quidem persuasum est.

Quam rationem si quis alienam esse ab antiquissimo philosopho putauerit ideoque hac in re fidem derogandam Simplicio, non habebo quo talibus distinctionibus Xenophanem usum esse demonstrem; at qui eum usum esse negauerit, unde is demonstraturus sit non posse tale a Xenophane cogitatum esse, equidem non intellego. Nam quis ingenium huius uiri, qui non

sine afflatu quodam diuino primus a consuetudine oculorum aciem mentis seuocauit, tam angustis finibus circumscribere uolet, ut quo penetrare potuerit acumine mentis, quo non potuerit, pro certo affirmare posse sibi uideatur? Relinquitur autem altera ratio, qua illi duo uersus conciliari possint cum decretis cap. III libelli Aristotelici traditis. Xenophanes enim qui primus in cognitionem intrabat multis obstructam difficultatibus, quin nonnumquam parum sibi constiterit, saepius sibi non constare aliis uisus sit, uix quisquam dubitabit. Non totam cogitationum seriem, quarum auctor et princeps erat, uno tempore amplexus est; sed paullatim, ut in quauis quaestione, in omnibus hominum studiis fieri ipse existimat (fragm. 16 Mull.)

οὔτοι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς ὑπέδειξαν,
ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον,

per uitam, quae uiuendi spatium plurimorum hominum longe superabat, ad illam philosophiam deducebatur, cuius grauissima decreta intermixta fortasse conclusionibus acutulis et ab ingenio ipsius alienis etiamnunc habemus in libello Aristotelico. Initio haud scio an satis habuerit contendisse, eius quod uere sit nec multitudinem esse posse nec motum, sed esse unum et quiescere; cum uero postea ei persuaderetur nihil recte dici quiescere, quod non posset moueri, etiam quietem e dei natura sustulit. Quid enim obstet, quominus in antiquissimo philosopho cogitationes gradatim progredientes statuamus, cum in aliis eas saepius ita progressas esse ipsis eorum libris doceamur, profiteor me non posse perspicere. Brandis, qui et ipse libelli auctorem fide non indignum iudicat, ratione ei quam proposui contraria difficultatem superare maluit (comm. eleatt. p. 42): „at ipse tamen sensisse philosophus uidetur, maius quiddam animo complecti se conatum esse, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi; quippe cui suis propriis legibus circumscriptae, haud supra fines sibi praestitutas liceat euagari. Mutato igitur fortasse orationis contextu, ens immobile esse, hisce contendit uersibus: (sequitur fragm. 4 Mull.)“ cf. Karsten p. 125, qui Brandisii sententiam probat.

In philosopho autem, qui deum nec motum nec immotum, nec finitum nec infinitum esse uoluit, iam praesensionem quandam fuisse eius doctrinae, qua proposita Kantii admirabile ingenium philosophiae nouas uias aperuit, nonnullis uiris doctis iure persuasum est. cf. Steinhart prolegg. ad Plat. Parmen. p. 395 not. 18. — Ritter gesch. der philos. I, 454 seq. Illud quidem Rittero non assentior apparere hoc etiam e fragmento 18 Mull:

νῦν αὖτ' ἄλλον ἔπειμι λόγον, δείξω δὲ κέλευθον.

Constat enim testimonio Diogenis Laertii, qui hunc uersum et alios quattuor eiusdem elegiae nobis seruauit, hoc carmine Xenophanem perstrinxisse Pythagorae *μετεμψύχωσιν*. cf. huius fragmenti uersus 2—5:

καί ποτέ μιν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα
φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσθαι ἔπος·
παῦσαι, μηδὲ ῥάπιζ', ἐπειὴ φίλου ἀνέρος ἐστὶ
ψυχή, τὴν ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων.

Diserte quidem solus Ueberweg Xenophanis (Zenonis) doctrinam comparat cum Kantiana.

Philol. 1853 p. 110: „Es ist aber dieses resultat des Zenonischen denkens so wenig ein gehaltloses, dass wir vielmehr selbst noch bei unserm Kant fast die naemlichen antinomien wiederfinden, mit eben dieser loesung, dass der wirklichen oder an sich seienden welt keins von beiden praedicaten zukomme, weil sie nicht unter den begriff falle, der beiden gegensaetzen uebergeordnet sei, naemlich den des zeitlich und raeumlich existirenden."

Non aberrabo a ratione huius disputationis, si breuiter ostendere conabor etiam apud alios scriptores ante Kantium exstare aliquid Kantianae doctrinae simile. — Democr. apud Sext. Empir. aduersus mathem. VII, 135 seqq. Bekk: *Δημόκριτος δὲ ὅτι μὲν ἀναιρεῖ τὰ φαινόμενα ταῖς αἰσθήσεσι, καὶ τούτων λέγει μηδὲν φαίνεσθαι κατ' ἀλήθειαν ἀλλὰ μόνον κατὰ δόξαν, ἀληθὲς δὲ ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν τὸ ἀτόμους εἶναι καὶ κενόν ..... „ἡμεῖς δὲ τῷ μὲν ἐόντι οὐδὲν ἀτρεκὲς συνίεμεν, μεταπῖπτον δὲ κατά τε σώματος, διαθήκην καὶ τῶν ἐπεισιόντων καὶ τῶν ἀντιστηριζόντων" .... „καίτοι δῆλον ἔσται ὅτι ἐτεῇ οἷον ἕκαστον γιγνώσκειν ἐν ἀπόρῳ ἐστί."* Verum quis non miretur in poematis Angeli Silesii uersus exstare, qui eandem quam Kant de spatio et tempore proposuit amplectantur sententiam. (Iohannis Angeli Silesii Cherubinischer wandersmann oder geistreiche sinn- und schlussreime, zur goettlichen beschaulichkeit anleitende. Neue nach der ed. pr. und der Arnold'schen ausgabe besorgte auflage. Sulzbach 1829.) — Primum quidem poeta in dubitationem intrat his uerbis I, 177:

Man red't von zeit und ort, von nun und ewigkeit:
was ist dann zeit und ort und nun und ewigkeit?

deinde uero quaestione soluta haec habet ut de re certa et explorata I, 185:

Nicht du bist in dem ort, der ort der ist in dir;
wirfst du ihn aus, so steht die ewigkeit schon hier.

et I, 189:

Du selber machst die zeit: das uhrwerk sind die sinnen:
hemm'st du die unruh nur, so ist die zeit von hinnen.

In alio epigrammate omnes cogitationes humanas, quae quidem uerbis exprimi possint, e notionibus deducere uidetur, quas mens nostra e spatii ratione haurit; atque si spatium i. e. intuendi forma nobis insita tolleretur, futurum esse, ut eodem tempore omnibus uerbis destitueremur, mira quadam subtilitate docet, hoc quidem obscurius, fateor, sed non dubito, quin nulla alia sententia insit in epigrammate I, 205:

Der ort und's wort ist eins, und waere nicht der ort
(bei ew'ger ewigkeit!) es waere nicht das wort.

Xenophani quidem qui subtiliores sententias tribuere uerebantur atque idem ferri posse negabant in decretis Xenophanis, quod quin in Parmenideis exstet nulli dubium est, auctorem disputationum de Xenophane, Zenone, Gorgia hominem plane imperitum philosophiae Eleaticae fuisse et scriptorem temerarium maluerunt, ipsamque doctrinam cap. III traditam nihil nisi uerborum inanium crepitum siue contortas et aculeatas quasdam conclusiunculas. Nuperrime huic opinioni se applicauit Vermehren in libello Ienae 1861 edito „Die autorschaft der dem

Aristoteles zugeschriebenen schrift περὶ Ξενοφάνους, περὶ Ζήνωνος, περὶ Γοργίου, ubi p. 38 haec leguntur: „Uebrigens bemerken wir schliesslich noch im allgemeinen, dass eine solche zusammenstellung von praedikaten des seins, wie sie im 3. cap. gegeben ist, sich zum grössten theil selbst widerlegte.“ et p. 39 not.: „nach alledem kann es uns nunmehr nicht allzusehr auffallen, dass eine grosse ungruendlichkeit in historischer beziehung, verbunden mit einem geringen interesse eine solche darstellung der philosophie jenes ersten Eleaten hervorbrachte, wie sie uns im 3. cap. erhalten ist.“ cf. Zeller, die philos. der Griechen, I, 366 seqq. — E. Reinhold, quaestio de genuina Xenophanis disciplina. Ienae 1847.

p. 977, b, 24. ἔτι οὐδὲν μᾶλλον ὁ θεὸς ἀγέννητος ἢ καὶ τἆλλα πάντα, εἴπερ ἅπαντα ἐξ ὁμοίου ἢ ἀνομοίου γέγονεν· ὅπερ ἀδύνατον. ὥστε ἢ οὐδέν ἐστι παρὰ τὸν θεόν, ἢ καὶ τἆλλα ἀΐδια πάντα.

Brandis in „epimetro, quo secunda libelli de Xenophane pars summatim exponitur, addito emendationum specimine“ (commentt. eleatt. p. 77 seqq.) ad hunc locum haec annotauit: „Vnus quisque facile perspiciet turbatam conclusionem esse ac inepte posita u. ὅπερ ἀδύνατον; quae si pones post u. παρὰ τὸν θεόν, utrique uolneri, ni fallor, medeberis. Sic enim procedit argumentatio: aut neque deus erit ingenitus, aut caetera simul omnia, siquidem omnia ex simili aut dissimili gignuntur; ita ut aut nihil praeter deum in rerum sit natura (id quod poni nequit), aut omnia simul aeterna. Cum uero poni nequeat, nihil praeter deum in rerum esse natura, aut neque deus erit aeternus, aut omnia simul aeterna. Haec autem argumentationis conclusio praetermissa ab libelli auctore est.“ Bergk et Mullach, quasi difficultas a Brandisio notata nulla esset, ne uno quidem uerbo rem tetigerunt; at reuera offendunt uerba ὅπερ ἀδύνατον. Tamen equidem non crediderim locum sanatum esse uerbis ita ut Brandis uolt transpositis, etiamsi — quod quidem non faciam nisi inuitus — conclusionem omissam esse concesserim: rectius fortasse erit uerba aut in fine totius sententiae posuisse, aut ita explicasse, ut pertinere uideantur ad ea sola, quae proxime praecedunt εἴπερ ἅπαντα ἐξ ὁμοίου ἢ ἀνομοίου γέγονεν, non ad totam quae praegreditur sententiam. Si enim cum Brandisio uerba ὅπερ ἀδύνατον post uerba παρὰ τὸν θεόν posuerimus, fieri non poterit, quin scriptorem sibi persuasisse putemus alteram conclusionis partem ἢ καὶ τἆλλα ἀΐδια πάντα cum ueritate non pugnare; quod fuisse ipsius scriptoris de hac re iudicium, metuo ne non recte quis statuat. Si quis uero audacter nodum discindere quam soluere maluerit, uerba, quippe quae offensioni sint, delere non uerebitur.

p. 977, b, 30 seqq. τό τε κράτιστον εἶναι τὸν θεὸν οὐχ οὕτως ὑπολαμβάνων λέγεται, ὡς πρὸς ἄλλο τι τοιαύτη ἡ τοῦ θεοῦ φύσις, ἀλλὰ πρὸς τὴν αὐτοῦ διάθεσιν, ἐπεί τοί γε πρὸς ἕτερον οὐδὲν ἂν κωλύοι μὴ τῇ αὐτοῦ ἐπιεικείᾳ καὶ ῥώμῃ ὑπερέχειν, ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ἄλλων ἀσθένειαν.

Bergk l. l. p. 33 corrigit δέ (u. 1), quod necessario requiratur. Huic emendationi fauet Mullach, non quod δέ necessario requiratur, sed quia elegantior efficiatur oratio, etsi τέ fortasse tolerandum in scriptore, qui incise membratimque loquens praegressae sententiae similem

annectat, ut non male Felicianus hanc transitionem uerbis „accedit quod" reddiderit. Verum si ferri potest illud τέ, nihil est cur mutetur, ne librariorum erroribus uerborum contextum purgare studentes ipsum scriptorem correxisse uideamur. — u. 1 seq. uerba *ὑπολαμβάνων λέγεται* quin mendosa sint, a nullo in dubium uocatur. Brandis conicit *ὑπολαμβανόμενον λέγεται*, Karsten (p. 116 not.) *ὑπολαμβάνεται*, Bergk *ὑπολαμβάνων λέγει*, Mullach *ὑπολαμβάνων λέγει τις*. Bergkii coniecturam Mullach idoneis argumentis refutauit; inter ceteras emendationes haud scio an ea, quam Mullach proposuit, plurimum probabilitatis habeat, utpote quae proxime ad codd. lectionem accedat, nisi forte interpretatione Feliciani commouemur, ut in codice, quo ille utebatur, *ὑπολαμβάνεται* (Karsten) siue *λέγεται* fuisse existimemus. — Cur u. 3 Bergk lectione cod. Lips. *ἐπεί τοί γε* repudiata scribi malit *ἐπεὶ τό γε*, parum perspicio, cum neque ille, neque Mullach, qui hoc a Bergkio bene positum esse affirmat, causas attulerit, quibus lectionem omnino non ferri posse demonstretur. Hanc uero loci sententiam esse puto: non eo sensu deus praestantissimus dicitur, ut cum alio comparatus talis appareat, sed quatenus ad ipsam eius naturam spectamus; nam profecto alterius ratione habita nihil impediet, quominus non sua uirtute, sed alterius imbecillitate excellat. — u. eod. offendo in uoce *ἐπιεικείᾳ*, quam si quis tueri uoluerit, idem hac uoce expressum esse contendat necesse est, quod u. 28 uoce *βέλτιστον*; at uix mihi persuaserim animi summas uirtutes uocabulo *ἐπιείκεια* significari posse. cf. Plat. Definn. VI p. 72 Herm.: *ἐπιείκεια δικαίων καὶ συμφερόντων ἐλάττωσις· μετριότης ἐν συμβολαίοις· εὐταξία ψυχῆς λογιστικὴ πρὸς τὰ καλὰ καὶ αἰσχρά*. Accedit quod in seqq. uocabulum *ἀσθένεια* uix potest haberi oppositum uocabulo *ἐπιείκεια*. Qua de causa legas uelim *αὐταρκείᾳ*, quam uocem et sententiae optime conuenire et non nimis a scriptura codicum remotam esse unusquisque uidet. cf. Plat. Definn. l. 1: *αὐτάρκεια τελειότης κτήσεως ἀγαθῶν· ἕξις, καθ' ἣν οἱ ἔχοντες αὐτοὶ αὐτῶν ἄρχουσιν*. et p. 70, ubi notio dei definitur: *θεὸς ζῷον ἀθάνατον, αὔταρκες πρὸς εὐδαιμονίαν· οὐσία ἀΐδιος, τῆς τἀγαθοῦ φύσεως αἰτία*. Quod ad totam sententiam attinet, Bergkium post *διάθεσιν* punctum, comma post *ἀσθένειαν* posuisse miror.

> p. 977, b, 35 seqq.: *θέλοι δ' ἂν οὐδεὶς οὕτω τὸν θεὸν φάναι κράτιστον εἶναι, ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ἔχει ὡς οἷόν τε ἄριστα, καὶ οὐδὲν ἐκλείπει καὶ εὖ καὶ καλῶς ἔχειν αὐτῷ· ἅμα γὰρ ἴσως ἔχοντι κἀκεῖνο ἂν συμβαίη. οὕτω δὲ διακεῖσθαι καὶ πλείους αὐτοὺς ὄντας οὐδὲν κωλύει, ἅπαντας ὡς οἷόν τε ἄριστα διακειμένους, καὶ κρατίστους τῶν ἄλλων, οὐχ αὐτῶν ὄντας.*

Ante Bergkium iam Karsten u. 2 pro *ἐκλείπει* scripserat *ἐλλείπει* (p. 116 not.). — Vtrum u. eod. cum Bergkio corrigendum sit *αὐτόν* an retinendum cum Mullachio *αὐτῷ*, mihi dubium est; mallem uero uolgatam sequi, si Mullach exempla illa, quae sibi in promptu esse profitetur, publici iuris fecisset. — Bergk u. 3 cod. Lips. auctoritatem secutus recte *συμβαίνοι* restituit, quod lectione mendosa duorum codd. apud Bekkerum (Ba, Va) in quibus *συμβαίνει* scriptum est confirmatur.

Maxime autem haeserunt interpretes in uerbis *ἅμα γὰρ ἴσως ἔχοντι κἀκεῖνο ἂν*

συμβαίνοι. Brandis pro *ἴσως* scribi uolt *οὕτως,* Karsten et interpretatur et corrigit sic: *αμα γὰρ ἴσως* (i. e. nimirum) *τοῦτ' (τὸ εὖ καὶ καλῶς) ἔχοντι κἀκεῖνο (τὸ κράτιστον εἶναι) ἂν συμβαίη,* Bergk necessario scribendum esse putat *ἀλλὰ γὰρ ἴσως ἔχοντι κ. τ. λ.,* Mullach secutus Feliciani lectionem, unde et Brandis illud *οὕτως* petiisse uidetur, *ἅμα γὰρ καλῶς ἔχοντι* conicit. Equidem a Bergkio solo loci sententiam perspectam esse ratus tamen aut nihil mutandum esse censeo aut pro *ἅμα* scribendum non *ἀλλά* sed *ἄλλῳ.* Sententias enim a scriptore hunc in modum conexas esse putauerim: talem dei notionem nemo uolet esse, scilicet *ὑπερέχειν αὐτὸν διὰ τὴν τῶν ἄλλων ἀσθένειαν,* sed optimum eum dicet, quia nihil ei deest ad optimam condicionem; nam ipsa aequalitatis ratione, quam Xenophanes ipse posuerat (p. 977, a, 32 *ἴσων δὲ ὄντων κ. τ. λ.*), alii deo, qui aequalis dicitur, una cum ceteris attributis etiam summam perfectionem tribui necesse est; siue ut uerbum uerbo reddam: nam alii pariter se habenti una (cum ceteris attributis) illud quoque (summa perfectio) tribuendum est. Collocatione autem uocis *ἅμα* longius remotae a uoce *κἀκεῖνο,* quamquam cur ferri posse praefracte negetur non intellego, tamen scrupulum facile inici posse me non fugit: ea de causa, si quidem hunc locum emendare quam interpretari praestare uidetur, scribi uelim *ἄλλῳ* Bergkii coniectura *ἀλλά* minus probata, cum participio *ἔχοντι* reuera aliquid desit, quod in uoce corrupta latere crediderim.

Mullachii autem coniectura sententiam loci plane obscurari existimo. Quis enim, quamdiu caute et circumspecte agit, coniecturae uix confirmatae conuersione Feliciani, nedum codicum adhuc superstitum uestigiis tantum tribuere non dubitabit, ut ea aliquid prorsus noui, quod ne uno quidem uerbo scriptor tetigit nec in praecedentibus nec in subsequentibus, in uerborum contextum recipi patiatur? Emendatione enim illa probata scriptorem statuamus oportet coegisse e summa dei felicitate eius uirtutem et potentiam; quae sententia num scriptoris propria esse possit an ab eo aliena sit, plane ignoramus. Iam uero, quoniam interpretatio in promptu est, qua non discedamus ab eis quas nouimus sententiis scriptoris, non dubito quin hanc nos sequi oporteat. Quod Mullach Bergkii explicationem improbans adicit, si recte putaretur *ἴσως ἔχοντι* nihil esse nisi *εὖ καὶ καλῶς ἔχοντι ἴσως ἄλλοις,* superuacaneam futuram esse sequentem enuntiationem, id quibus argumentis nisus Bergkio exprobrauerit, cum ipse attulerit nulla, non habeo perspectum. Haec nimirum erit ratiocinatio in breue coacta: „poteris tuo iure plures deos inter se aequales ponere, etiamsi omnes *κράτιστοι* sint; nam ipsa aequalitatis notione efficitur, ut aequalis eorum etiam perfectio sit; perfectio enim non is status est, quo unus ceteros superat, sed quo uni uel pluribus nihil deest ad summam potentiam siue uirtutem. Ergo nihil obstat, quominus plures dei eique tales sint."

p. 978, a, 2 seqq. *ἔστι δ', ὡς ἔοικε, καὶ ἄλλα. κράτιστον γὰρ εἶναι τὸν θεόν φησι, τοῦτο δέ τινι εἶναι ἀνάγκη, ἵνα τὰ πάντα ὁρᾶν καὶ ἀκούειν οὐδὲν προσήκει· οὐ γὰρ εἰ μὴ καὶ τῇδ' ὁρᾷ, χεῖρον ὁρᾷ ταύτῃ, ἀλλ' οὐχ ὁρᾷ.*

Bekker uituperatur a Mullachio, quia duorum codicum (Ba, Va) lectionem *δέ τινων* pro *δέ τινι* praebentium iniuria spreuerit; nam praeter hos codices idem exhibere etiam exemplar

Lipsiense, ubi exstet *τιν* adiecta, non apostropho, ut contenderit Olearius, sed nota qua *ων* designetur. Cum enim Xenophanes deum uocet potentissimum et praestantissimum, hoc ita dici contendere Aristotelem, ut simul necessario quorundam (aliorum) ratio habeatur, siquidem summa rei alicuius praestantia ex aliarum demum eiusmodi rerum comparatione perspiciatur. „Si igitur" inquit Mullach „deus praestantissimus est, uel praestantissimus deorum uel praestantissima rerum sit necesse est." Quo confirmet sententiam, Xenophanis affert fragm. I:

εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσιν καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος

atque eos qui *τινι* legi malunt statuere aliquid censet, quod cum per se ita frigidum et ieiunum sit, ut Aristoteli in mentem uenire non potuerit, tum omnibus quae hic afferantur argumentis repugnet.

E tota hac argumentatione unum illud aliquo momento esse existimo, quod codex Lipsiensis uidetur praebere lectionem a Bekkero repudiatam; at non ea est huius libri auctoritas, ut qui usque quaque eam secutus sit uerborum contextum ad criticam rationem emendasse dici possit. Quae praeter hoc argumentum uir doctus attulit alia, eis aliquid, opinor, rationi ipsi scriptoris contrarium uidetur posuisse. Id enim ipsum scriptor, ut Xenophanis ratiocinationem refelleret, contenderat non ideo esse deum *κράτιστον*, non ideo tribui ei summam perfectionem, quod talis appareret, si cum aliis comparatus esset, sed quia ipsi nihil deesset ad optimam condicionem. *Κράτιστος* est non *διὰ τὴν τῶν ἄλλων ἀσθένειαν*, sed *ὅτι αὐτὸς ἔχει ὡς οἷόν τε ἄριστα*. Neque id concedam deum hic opponi non aliis deis, sed ceteris rebus omnibus; nam minime intellegi potest deum, qui *κράτιστος* parum recte dicatur propter alios deos ipsius nimirum aliquanto similiores, dici posse *κράτιστον* propter res ipso multo inferiores. Quidni potuerit Xenophanes, sicut postea Spinoza — et fuerunt, qui eum aut animosissime Spinozismi accusarent*), aut certe aliquid Spinozismi simile in placitis eius agnoscerent**) — potuerit, inquam, eam sententiam amplexus esse, ut praeter illud unum quod deum nominauit, perinde atque in Spinozae decretis inter deum et mundum nullum reuera discrimen est, esse quicquam negaret, atque, sicut Thales *πάντα πλήρη θεῶν* (Arist. de anim. I, 5. Diog. Laert. I, 27) dixerat, ipse hanc cogitationem ad finem usque persecutus primum quidem deum esse *συμφυῆ τοῖς πᾶσιν* (Sext. Emp. hypot. I, 225), deinde uero omnia esse deum singulari audacia contenderet. Tantum quidem abest, ut hac in quaestione ad

*) P. Bayle, dictionn. historique et critique s. u. Xenophanes: Il avoit sur la nature de Dieu une opinion, qui n'est guère différente de Spinozisme. — Le sentiment de ce philosophe est une impiété abominable, c'est un Spinozisme plus dangereux, que celui, que je réfute dans l'article de Spinoza, car l'hypothèse de Spinoza porte avec soi son préservatif par la mutabilité ou par la corruptibilité qu'il attribue à la nature divine, en égard aux modalitez.

**) I. G. Buhle, de ortu et progressu pantheismi inde a Xenophane Colophonio primo eius auctore usque ad Spinozam in Commentt. soc. reg. scientt. gotting. X p. 160: Iam uero Eleaticorum opiniones a Spinozismo distare etiamsi recte contendas, manet tamen, quod antea diximus, Spinozam non solum cum illis ab uno eodemque principio primo exiisse, sed tetendisse etiam quodammodo ad unam eandemque metam, uiarum regiones tantum diuersas fuisse, quibus singuli incederent. — cf. quos Buhle laudat libros: Io. Fr.

fundum perueniamus, in quo ueritas posita est, ut nihil nisi rimari illa et coniectura in occultum ire liceat; at cum scriptor libelli ipse dubitare uideatur, utrum a Xenophane praeter deum aliae res positae sint necne — id quod apparet e nostro ipso loco, ubi id agit ut demonstret esse alias res secundum philosophi ipsam doctrinam —: id certe unusquisque concedet posse hanc quam diximus fuisse Xenophanis sententiam. Cur Mullach philosophi nostri fragmentum I laudet, uix est perspicuum; hunc enim uersum non ita accipi posse, ut inde Xenophanes philosophus appareat, sed poetae tantum Xenophanis esse de pluribus deis canere, id si fusius demonstrare accingerer, operam perderem in re confessa. Quod deinde uir doctus affirmat frigidum et ieiunum dicendi genus abhorrere ab Aristotelis oratione, ne tum quidem magni momenti erit, cum Aristotelis hunc esse libellum omnibus persuasum fuerit; nam philosophum quantumuis sententiis et acumine mentis admirabilem elatione orationis et compto dicendi genere parum excellere inter omnes constat. Quod extremum est „repugnare lectionem omnibus quae hic afferantur argumentis", cum Mullach ipse enumerauerit nulla, id unum respondebo me nulla scriptoris nosse argumenta, quibus repugnare uideri possit.

Lectione igitur Bekkeriana probata hanc esse loci sententiam mihi persuasi: praeter deum Xenophanes ipse, siquidem constare sibi uoluerit, alias res esse statuet, cum potentissimum eum uocauerit. Cui enim potentia tribuitur, is in aliquem *(τινί)* hanc habeat exerceatque necesse est, uel: quicunque potens est, eum non sibi, sed aliis esse potentem facile intellegitur; non poterit igitur quisquam de alicuius rei potentia loqui, quin eodem tempore alias res praeter hanc esse sumat.

Haec explicatio cum non repugnat uerbis, tum loco sententiam subicit, quae nec inepta uidetur nec aliena a scriptore. Quoniam uero etiam *τινῶν* legitur in codd., fortasse in ipso libro Lipsiensi, ne hanc quidem uocem plane reiciendam esse puto, dummodo ne cum Mullachio statuamus *τινῶν* uim habere genetiui partitiui, sed possessiui quem uocant; at cum hac lectione recepta uerborum sententiam obscuriorem fieri manifestum sit, editionem Bekkerianam hic sequi non dubitabo. Ceterum perperam post *ἄλλα* a Bekkero et Mullachio punctum, et comma post *ἀνάγκη* posita sunt; uerbis inde a *κράτιστον* usque ad *ἀνάγκη* admodum breuiter strictimque probatur sententia illa forte incidens *ἔστι δ', ὡς ἔοικε, καὶ ἄλλα;* contraque inde a uoce *ἕνα* scriptor aggreditur prorsus nouam refutationem.

Buddei thes. de atheismo et superstitione p. 58 seq. Eiusdem exercitatio de Spinozismo ante Spinozam in Analectis historiae philosophicae p. 310. Iac. Frid. Reimanni hist. atheismi p. 200 seq. Gundlingiana P. XV p. 372. Waltheri eroeffnete eleatische graeber p. 15 seq. — cf. Schopenhaueri „parerga und paralipomena" I 69, ubi haec leguntur: In den folgenden kapiteln, ueber Zeno, erstreckt nun die uebereinstimmung mit Spinoza sich bis auf die darstellung und die ausdruecke. Man kann daher kaum umhin anzunehmen, dass Spinoza diese schrift gekannt und benutzt habe; da zu seiner zeit Aristoteles, wenn auch von Bako angegriffen, noch immer in hohem ansehn staud, auch gute ausgaben, mit lateinischer version, vorhanden waren. Danach waere denn Spinoza ein blosser erneuerer der Eleaten, wie Gassendi des Epikur. Wir erfahren abermals, wie ueber die maassen selten, in allen faechern des denkens und wissens, das wirklich neue und ganz urspruengliche ist.

Pro ἕνα τὰ πάντα, ut Bekker typis expressit, Mullach secutus uestigia uerae lectionis in cod. Lips., qui ἕνα τὸν τὰ exhibet — unde iam Brandis ἕνα ὄντα coniecerat — et uoce πάντα hic prorsus inepta in πάντῃ mutata, id quod comprobatur uerbis proxime subsequentibus τὸ πάντῃ αἰσθάνεσθαι et deinceps (u. 8) πάντῃ ἀκούει καὶ πάντῃ κρατεῖ (cf. u. 12 et 977, a, 37) et conuersione Feliciani „at uero unum undequaque uidere et audire nihil conuenit", felicissime restituit ἕνα δὲ ὄντα (malim quidem δ' ὄντα siue fortasse τ' ὄντα) πάντῃ. Illud uero uiro docto non assentiar, cum Feliciano contra auctoritatem codicum superstitum omnium uerba ita transponenda esse, ut uox ταύτῃ post χεῖρον ὁρᾷ deleta legatur post ἀλλά, cum praesertim inde sequatur, ut pro ἀλλ' quod codices habent scribere cogamur ἀλλά; neque enim uideo, quid intersit, utrum in χεῖρον ὁρᾷ subaudiamus ταύτῃ an in οὐχ ὁρᾷ. Fuelleborn, qui Isingrianae editionis ope expleri hunc locum et integritati suae restitui posse putat, hunc in modum corrigit: τοιούτῳ δέ τινι εἶναι ἀνάγκῃ (ita enim Isingr. marg.) ἕνα τὸν τὰ πάντα ὁρᾶν καὶ ἀκούειν, οὐδὲν προσήκειν. Equidem uero aperte et ingenue profiteor me non intellegere, quid uerbis ita emendatis, quibus nihil mihi obscurius est, Fuelleborn sibi uoluerit. Videant alii.

p. 978, a, 7 seqq. ἔτι τοιοῦτος ὢν διὰ τί σφαιροειδὴς ἂν εἴη, ἀλλ' οὐχ ὅτι ἑτέραν τινὰ μᾶλλον ἔχων ἰδέαν, ὅτι πάντῃ ἀκούει καὶ πάντῃ κρατεῖ;

Verba ἀλλ' οὐχ ὅτι mendosa esse cuiuis est perspicuum. Voce autem ὅτι expuncta omnia expedita sunt ita ut ceteris mutationibus (Brandis proponit ἔχοι pro ἔχων, Karsten p. 129 not. 54 post ἰδέαν inserit λέγοιτο) supersedere liceat. Vocabulum ὅτι uero delendum esse primus uidit Karsten l. l., non Mullach, quem emendatio, quam ille in annotatione proposuerat, uidetur fugisse. Brandis contra pro ὅτι reponi uolebat ἔτι, uidelicet οὐχ mutato in οὐκ; de qua coniectura, quamquam uestigiis codicum eam magis quam Karstenii emendationem confirmari manifestum est, Mullach: „uereor" inquit „ut possit probari." At nescio, cur non potuerint haec scriptoris uerba fuisse latine reddita: „neque praeterea (praeter hanc formam) aliquam aliam potius habens."

p. 978, a, 16 seqq. ἔτι μήτε ἄπειρον μήτε πεπεράνθαι σῶμά γε ὂν καὶ ἔχον μέγεθος πῶς οἷόν τε, εἴπερ τοῦτ' ἐστὶν ἄπειρον ὃ ἂν μὴ ἔχῃ πέρας δεκτικὸν ὂν πέρατος. πέρας δ' ἐν μεγέθει καὶ πλήθει ἐγγίνεται καὶ ἐν ἅπαντι τῷ ποσῷ, ὥστε ἂν μὴ ἔχῃ πέρας μέγεθος ὄν, ἄπειρόν ἐστιν.

Quae cod. Lips. habet ὢν καὶ ἔχων (cf. Mullach; ἔχων etiam Vaticanus 1302 cf. Bekk.) etsi hi nominatiui ferri omnino non possunt, tamen Brandis et Karsten (p. 129 not.) receperunt. Post ἄπειρον (u. 1) inserendum esse εἶναι ante Mullachium iam Karsten obseruauit. Ceterum nihil mutatum uolo nisi uerba ὥστε ἂν μὴ ἔχῃ, pro quibus e codice Feliciani, qui uertit: „quocirca quod finem non habet" restituendum uidetur: ὥστε ὃ ἂν μὴ ἔχῃ, uel lectione cod. Lips. qui praebet ὥστε εἰ μὴ ἔχει expleta: εἴ τι μὴ ἔχει. Illud quidem magis comprobatur uerbis eisdem u. 2 praecedentibus. Aliquo autem modo locum sanandum esse apparet; siue

enim cum Bekkero ἂν μὴ ἔχῃ legis siue cod. Lips. secutus εἰ μὴ ἔχει ut Mullach iubet, utrubique deest enuntiato subiectum.

Quod ad sententiarum conexionem attinet, qua scriptor Xenophanem sibi non constare studet euincere, quia illud unum quod statuat tum corporeum tum neque finitum neque infinitum sumat: mirum in modum in refutando contra praecepta logica peccauit; neque enim sua ratiocinatione effecit quod effici uoluit, scilicet cum natura corporea eius quod unum sit pugnare τὸ μήτε ἄπειρον εἶναι μήτε πεπεράνθαι. Hae nimirum sunt quas proponit sententiae: quaecunque finita sunt aut infinita, corpora sint et magnitudinem habeant necesse est; nam infinitum recte id solum uocatur quod finibus caret, quamquam ita comparatum est, ut finibus circumscriptum esse p o s s i t (δεκτικὸν ὂν πέρατος), finis autem non est nisi in rebus, quibus magnitudo aliqua uel multitudo tribuitur. Atqui illud quod Xenophanes unum uocat est corporeum. Ergo non potest sumi nisi aut finitum aut infinitum. — Hoc uero conclusum aperte fallax esse nemo negabit; uitiosa enim conuersione usus est, quoniam, cum omnia finita et infinita esse corporea sumpsisset, inde effici arbitrabatur omne corpus esse aut finitum aut infinitum.

Aut igitur in hanc uitiosam conuersionem per imprudentiam lapsus est, aut cum concludendi ea ratione quae alterius figurae est uteretur, non reputauit alterutram propositionem semper negantem esse debere. Hunc enim constituere licebit sententiarum conexum, si in breue coegerimus:

omnia finita et infinita sunt corporea;
atqui illud unum est corporeum:
ergo illud unum est aut finitum aut infinitum.

Cuiuis autem apparet hoc non rectius conclusum esse quam si quis ratiocinaretur:

omnes homines sunt bipedes;
atqui ciconia est bipes:
ergo ciconia est homo.

Verum ne quis aliter hoc accipiat atque acceptum uolo, mihi non in mentem uenit contendere, e corporea natura alicuius rei non p o s s e effici cogique, ut alterutrum sit, immo recte concludi censeo, si quid corporeum sit, id necessario finibus circumscriptum esse: hoc solum euicisse mihi uideor, r a t i o n e m s c r i p t o r i s non esse accommodatam ad praecepta logica. Quae cum ita sint, haud scio an inde argumentum petere liceat, quo Aristoteli uix posse tribui hunc libellum si non comprobetur, at certe afferatur aliquid haud ita leue ad comprobandum.

Miror autem, quod Vermehren, cum ex ipso libello demonstrare studeat peruerse illos iudicare qui eum Aristoteli uindicent, hanc ratiocinationem tam misere iacere non uidetur perspexisse. At totum locum, ni fallor, perperam interpretatur, cum his uerbis eius sententiam breuiter reddat: „Ferner widerspreche die koerperlichkeit sowohl der negation der unendlichkeit, denn dieselbe (naemlich die unendliehkeit) schliesse ja bei der annahme der koerperlichkeit eine grenze aus." (Vermehren, die autorschaft etc. p. 37). Quae uerba etiamsi mendo typographico corrupta esse nostro iure statuerimus, cum illud „sowohl" in sqq. nulla uoce

excipiatur, tamen uix adeo deprauata esse poterunt, ut uir doctus eis locum recte interpretatus esse uideri possit. Haec igitur ratiocinatio Vermehreno non erat praetermittenda: at contra quae ipse affert ad demonstrandam scriptoris et temeritatem et ignorantiam, equidem non tantum ualere existimo, quantum ipsi persuasum est. Primum enim reprehendit rationem, qua scriptor euincere uoluerit nihil obstare, quominus plures dei sint, etiamsi omnes *κράτιστοι* dicantur. Habet enim haec p. 37 seq: „Folgende punkte der widerlegung heben wir besonders heraus: p. 978, a: *οὕτω δὲ διακεῖσθαι καὶ πλείους αὐτοὺς ὄντας οὐδὲν ἂν κωλύοι, ἅπαντας ὡς οἷόν τε ἄριστα διακειμένους, καὶ κρατίστους τῶν ἄλλων, οὐχ αὑτῶν ὄντας.* diese annahme war ausgeschlossen durch p. 977, a, 32: *ἴσων δὲ ὄντων, οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν εἶναι δεῖν κράτιστον· τὸ δὲ ἴσον οὔτε χεῖρον οὔτε βέλτιον εἶναι τοῦ ἴσου.* der absolute superlativ schloss eine mehrheit aus." Haec uerba si contuleris cum eis, quae uir doctus in enarratione argumenti capitis IV habet p. 36: „ferner fasse jener Eleat Gott als das maechtigste und zwar als das absolut maechtigste" haud scio an probabile sit Vermehrenum, licet ipse de uerborum contextu constituendo nullam proferat sententiam, coniecturam Bergkii probasse p. 977, b, 31 legi iubentis *ὑπολαμβάνων λέγει*, quam emendationem a scriptoris consilio omnino abhorrere Mullach firmissimo argumento demonstrauit. Deinde Vermehren uituperat scriptorem libelli, quod parum recte p. 978, a, 7 statuerit Xenophanem *ἐκ τοῦ πάντῃ ἀκούειν κ. τ. λ.* coegisse deum figura conglobata esse; conferri iubet 977, b, 1: *πάντῃ δ' ὅμοιον ὄντα σφαιροειδῆ εἶναι.* Quid autem nos, quippe qui notitiam, non dicam decreti ipsius, at certe argumentationis qua comprobetur nulli debeamus nisi scriptori nostro, quid, inquam, nos coget, ut illud *πάντῃ ὅμοιον* aliud quicquam esse statuamus atque *ὁρᾶν καὶ ἀκούειν πάντῃ*? cf. p. 977, a, 36 seqq. ubi non de forma dei ubique aequali Aristoteles siue Pseudoaristoteles loquitur, sed de potentia usque quaque in deo aequali; addit enim: *εἰ γὰρ μή, κρατεῖν ἂν καὶ κρατεῖσθαι ὑπ' ἀλλήλων τὰ μέρη θεοῦ ὄντα.* Rectius scriptori opprobrio uertes, quod illud *σφαιροειδῆ εἶναι* proprio sensu acceperit, cum Xenophanes procul dubio nihil nisi imaginem esse uoluerit, deum finitum esse negans. Quod praeterea Vermehren scriptorem cap. IV peccare arbitratur, in seqq. suo quidque loco percensebo.

> p. 978, a, 20: *ἔτι δὲ σφαιρόειδῆ ὄντα ἀνάγκη πέρας ἔχειν. ἔσχατα γὰρ ἔχει, εἴπερ μέσον ἔχει αὐτοῦ τοῦ πλεῖστον ἀπέχειν. μέσον δ' ἔχει σφαιροειδὲς ὄν. τοῦτο γάρ ἐστι σφαιροειδὲς ὃ ἐκ τοῦ μέσου ὁμοίως πρὸς τὰ ἔσχατα. σῶμα ἔσχατα ἢ πέρατα ἔχειν, οἷον διαφορεῖ.*

Verba *αὐτοῦ τοῦ πλεῖστον ἀπέχειν* correcta in Isingr. marg. *ἃ αὐτοῦ τοῦ μέσου πλεῖστον ἀπέχει* Fuelleborn p. 32, quia aperte sint e lemmate marginali orta, eici iubet, eumque Brandis sequitur. Karsten pro uerbis a Fuellebornio expunctis haec scribi uolt: *τὰ αὐτοῦ πλεῖστον ἀπέχοντα*, Bergk: *ὃ αὐτοῦ τοῦ κύκλου πλεῖστον ἀπέχει.* Quae mox secuntur uerba ita reponi uolt Karsten: *ὃ ἐκ τοῦ μέσου ὁμοίως πρὸς τὰ ἔσχατα ἢ πέρατα σῶμα ἔχει.* Bergk autem ex auctoritate cod. Lips. uocabulo *δ'* post *σῶμα* inserto et *διαφέρει* pro *διαφορεῖ* restituto, uoce

οἷον uero per coniecturam in οὐδέν mutata, cum οἷον διαφέρει sit „mirum quantum intercedit discrimen" id quod contrarium sit rationi scriptoris, ultimum enuntiatum sic scribit: σῶμα δ' ἔσχατα ἔχειν ἢ πέρας οὐδὲν διαφέρει. Mullach Bergkii emendationes comprobat in hoc tantum discrepans, quod pro κύκλου legere mauolt πέρατος; at non in melius, opinor, sed in peius rem uertit, cum in fine demum ratiocinationis diserte dicantur πέρατα idem esse quod ἔσχατα. Equidem existimo locum a Bergkio ita quidem esse emendatum, ut in uerbis ea sententia quam uoluit scriptor insit; sed coniecturis a codd. uestigiis nimium discedentibus loco uim esse allatam putauerim. Legas uelim u. 2 τούτων ἃ πλεῖστον ἀπέχει siue πανταχοῦ πλεῖστον ἀπέχον. (Cod. Lips. habet αὐτοῦ τ' οὗ). — Porro fortasse sufficiet u. 4 οἷον mutasse in ποῖον apposito signo interrogandi. — Contra retinere uereor u. 2 σφαιροειδὲς ὄν. Cum enim procul dubio hic de deo agatur (cf. u. 1: σφαιροειδῆ ὄντα) ueram lectionem suspicor esse σφαιροειδὴς ὤν. Cod. Lips. pro ὤν praebet ὁ μὲν ÷, qua scriptione inani corruptelam etiam in ceteris codd. esse confirmatur. — Quibus rationibus adductus Bergk in ultimo enuntiato tacite πέρας scripserit et ἔχειν post ἔσχατα posuerit, easdem autem mutationes Mullach tacite comprobauerit, mihi quidem in tenebris latet.

Cum antea scriptor demonstrare studuerit aut finitum aut infinitum illud unum sumendum esse, iam uerbis supra positis argumento comprobare uolt non esse posse nisi finitum, cum figura conglobata sit. Verum huius quoque conclusionis ratio non est digna, quae ab Aristotele profecta esse putetur. Subridicule enim ac parum circumspecte cum e notione globi effecerit deo Xenophaneo necessario centrum esse, inde demum etiam finibus eum circumscriptum esse cogit. Quasi non eadem ratione ex ipsa globi notione sequatur, ut finitus sit, qua eum centro non carere demonstrat. Praeterea quod notionem ἔσχατα in auxilium uocauit, cuius in locum postremo notionem πέρατα substitueret, hanc totam rem esse nugatoriam et subtilitatem teri in superuacaneis manifestum est.

p. 978, a, 24 seqq: εἰ γὰρ καὶ τὸ μὴ ὂν ἁπλοῦν, οὐκ ἂν καὶ τὸ ὂν ἄπειρον. τί γὰρ κωλύει ἔνια ταὐτὰ λεχθῆναι κατὰ τοῦ ὄντος καὶ μὴ ὄντος; τό τε γὰρ ὂν οὐκ ὂν οὐδεὶς νῦν αἰσθάνεται, καὶ ὂν δέ τις οὐκ ἂν αἰσθάνοιτο νῦν· ἄμφω δὲ λεκτά, ὅπως διανοητά.

Fuelleborn ad hunc locum ceterosque huius capitis nihil annotauit, tam multa ratus passim intercidisse et editos libros, omnes aeque, adeo esse corruptos, ut multis locis nullus plane sensus constaret; atque ne Lipsiensi quidem exemplari nos multum iuuari iudicauit. Brandis corrigit: εἰ δ' ἄρα καὶ τὸ μὴ ὂν ἄπειρόν ἐστι, τί οὐκ ἂν καὶ τὸ ὂν ἄπειρον; Illud ἄπειρόν ἐστι sumpsit e cod. Lips., ubi ἄπεστι legitur. Suspicatur enim per compendium fortasse ἀπ. ἐστι scriptum esse et inde ἄπεστι ortum. Vocem τί inserit „quod syllaba praecedens hanc facile absorpserit particulam." Mullach hanc emendationem, quam a Brandisio admodum subtiliter et sagaciter factam esse mihi persuasum est, cum ex parte iniuria spreuerit, hunc uolt esse genuinum uerborum contextum: εἰ γὰρ καὶ τὸ μὴ ὂν ἄπειρον, διὰ τί οὐκ ἂν καὶ τὸ ὂν ἄπειρον; Quomodo enim particula causalis γάρ ferri possit, cum nulla causa afferatur, qua quae

praecedunt confirmentur, prorsus me fugit. Deinde cur uir doctus pro *τί*, quam uocem facile potuisse a librario omitti Brandis probabili ratione ostendit, in textum receperit *διὰ τί*, nulli, opinor, erit magis perspicuum. Quod uero multo magis miror, Mullach nos ad Feliciani conuersionem delegat, quippe quem „prorsus eadem legisse certum sit." At habet Felicianus „praeterea," quod non est *γάρ* sed *ἄρα;* habet „idcirco," quo uocabulo Mullachii *διὰ τί* non magis probatur quam Brandisii *τί*. Verum siquidem licebit Feliciani interpretationem sequi, coniecerim in uoce *ὅπως* uel *ὅπου* (hoc enim praebent Vatic. 1302 et Vrbinas 108) non solum *καί* latere, quod Mullach legi iubet, sed *δήπου καί*. Interpretatur enim Felicianus: „quae utraque et dici et considerari sane possunt." Ceterum monendum est Felicianum uerbis suis scriptoris sententiam parum recte reddidisse. Procul dubio enim ultimis uerbis scriptor hoc uolt exprimi: „nempe *(δήπου)* utrumque *(τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὄν)* non sensus nobis ostendunt, sed uerbis tantum amplectimur et cogitatione." — Ineptum illud *ὂν* post *γάρ* (u. 2) Mullach recte expunxit.

> p. 978, a, 28 seqq; *οὐ λευκὸν δὲ τὸ μὴ ὄν· εἰ οὖν διὰ τοῦτο τὰ ὄντα πάντα λευκά, ὅπως μή τι ταὐτὸ κατὰ τοῦ ὄντος σημαίνωμεν καὶ μὴ ὄντος, ἢ οὐδὲν κωλύει καὶ τῶν ὄντων τι μὴ ὂν εἶναι λευκόν; οὕτω δὲ καὶ ἄλλην ἂν ἀπόφασιν δέξαιτο τὸ ἄπειρον, εἰ μὴ τὸ πάλαι λεχθέντι μᾶλλον, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν ἢ μὴ ἔχειν ἐστὶν ἅπαν. ὥστε καὶ τὸ ὂν ἢ ἄπειρον ἢ πέρας ἔχον ἐστίν.*

Mullach emendatione Brandisii, qui pro *εἰ οὖν* conicit *ἢ οὖν*, iure improbata locum sic existimat scribendum conspirante Feliciano: *οὐ λευκὸν δὲ τὸ μὴ ὄν· ἆρ' οὖν διὰ τοῦτο τὰ ὄντα πάντα λευκά, ὅπως μή τι ταὐτὸ κατὰ τοῦ ὄντος σημήνωμεν καὶ μὴ ὄντος, ἢ οὐδὲν κωλύει καὶ τῶν ὄντων τι μὴ εἶναι λευκόν;* Felicianus enim interpretatur: „non album item non ens est: numquid igitur propterea omnia quae sunt esse alba dicendum erit, ne quippiam idem de ente et de non ente significemus? an nihil impediet, quin ex eis etiam quae sunt aliquid album non sit?" Illud *σημήνωμεν* pro *σημαίνωμεν* Mullach e cod. Lips. sumpsit, unde etiam *ὂν* ante *εἶναι* deleuit; quod uero in eodem codice legitur *οἶμαι* interpositum inter *οὐδὲν* et *κωλύει*, uir doctus spreuit, „quod scriptor uarietatem orationis non consectaretur, sed perpetuo inculcaret quaestiones *ἔτι τί κωλύει;* et *ἢ οὐδὲν κωλύει;*" coniectura autem *εἰ οὖν* mutauit in *ἆρ' οὖν*. Non infitiabor cum locum ita constitutum esse a Mullachio, ut apta sententia insit in uerbis, tum mutationes esse eas, quae aut codicis lectione comprobentur aut paullum discedant a scriptione codicum; tamen quia et offendor collocatione uerborum *μὴ εἶναι λευκόν* et arctius cohaerere putauerim hanc sententiam cum ea quae antecedit, pro re non adeo certa et explorata existimem, hanc esse ueram lectionem, ut non possim non proponere, quemadmodum ego locum sanandum esse arbitrer. Fortasse enim legendum erit: *οὐ λευκὸν δὲ τὸ μὴ ὄν· εἰ οὖν διὰ τοῦτο τὰ ὄντα πάντα λευκά, ὅπως μή τι ταὐτὸ κατὰ τοῦ ὄντος σημήνωμεν καὶ μὴ ὄντος, ᾗ οὐδέν, οἶμαι, κωλύει καὶ τῶν ὄντων τι μὴ εἶναι.* Retinui *εἰ*, scripsi *ᾗ* pro *ἤ*, e cod. Lips. inserui *οἶμαι* et deleui *ὄν*, per coniecturam expunxi *λευκόν*. Quod igitur nullo codice adstipulante mutaui, non insolentius uidebitur, quam quod Mullach

correxerat; poterat enim facile illud *λευκόν* coniunctum cum uocula *οὐ*, quam in uocula *ὄν* expuncta latere arbitror, explanationis causa — nam *τῶν ὄντων τι* nihil est nisi ipsum illud *οὐ λευκόν* — in margine adscriptum in uerborum contextum irrepsisse. Praeferenda autem emendatio nostra uidetur Mullachii emendationi propterea, quod refutatio his uerbis proposita arctius conectatur cum ea quae praecedit sententia. Haec enim haud scio an sit scriptoris argumentatio: „Quod non est, non album est: si inde concluditur (scilicet ab aliquo qui rerum naturam, quam quidem oculis auribusque percipimus, contemnit et *ἐν διανοητοῖς* uersatur) omnia, quae sunt, alba esse, quoniam secundum Xenophanem idem dici nequit de eo quod est ac de eo quod non est; talia concludenti a nobis, qui sensibus confisi multa esse non alba persuasum habemus, obicietur hac concludendi ratione effici, ut inter ea, quae sunt, nonnulla non esse dicantur; nam sumpsimus antea id, quod non est, non album esse.“ Haec autem erit loci sententia, si uerbum uerbo redditur: „id, quod non est, non album est: si ea de causa omnia, quae sunt, alba (sumuntur), ne idem de eo quod est ac de eo quod non est dicamus, profecto nihil, opinor, impediet, quominus inter ea, quae sunt, res quaedam non sint.“ In altera parte huius loci codices praebent *οὕτω δὲ καὶ ἄλλην οὖν ἀπόφασιν δέξονται τὸ ἄπειρον*, quod Brandis admodum leni mutatione correxit pro *καί* scribens *κατ'*. Mullach ratione qua Bekker textum conformauit probata uocabulum *δέξονται*, licet in codicibus exstet, ferri non posse minime esse obscurum dicit; at mihi quidem non est persuasum leuem Brandisii correctionem contemnendam esse. Quidni *δέξονται* de eis accipi possit, qui perinde atque Xenophanes mentem ab oculis seuocantes contra communem opinionem non dubitent pugnare ratione? Ceterum ineptum illud *μή* post *παρὰ τό* recte deleuit Brandis, idem *τῷ πάλαι* pro *τὸ πάλαι* recte legit; uocabula *καί* autem ab eodem post *εἰ* et *ἔτι* post *λεχθέντι* inserta atque *περί* scriptum pro *παρά* mutationes esse existimo utique superuacaneas.

p. 978, a, 34: *ἴσως δὲ ἄτοπον καὶ τὸ προσάπτειν τῷ μὴ ὄντι ἀπειρίαν. οὐ γὰρ πᾶν, εἰ μὴ ἔχει πέρας, ἄπειρον λέγομεν, ὥσπερ οὐδ' ἄνισον οὐκ ἂν φαῖμεν εἶναι τὸ μὴ ὄν.*

In praecedentibus id, quod ipse non probat, sumpserat *(τὸ μὴ ὂν ἄπειρον εἶναι)*, ut hoc posito et concesso rationem argumentandi refelleret. Iam uero hypothesin istam minime probandam esse euincere studet. Verba *οὐ γὰρ πᾶν, εἰ μὴ ἔχει πέρας, ἄπειρον* ita sunt accipienda, ut licere neget, ei quod non est, quia finitum non possit dici, infinitatem tribuere; cui enim infinitas tribuatur, id eo ipso finiri posse statui; ergo non esse *μὴ ὄν*. cf. p. 978, a, 17: *τοῦτ' ἐστὶν ἄπειρον, ὃ ἂν μὴ ἔχῃ πέρας δεκτικὸν ὂν πέρατος*. Non rectius igitur *τὸ μὴ ὄν* esse *ἄπειρον* statueremus, quam si illud *ἄνισον* esse diceremus. Quod enim inaequale est, id habeat necesse est quo inaequale sit.

p. 978, a, 37 seqq: *ἔτι οὐκ ἂν ἔχοι ὁ θεὸς πέρας εἷς ὤν, ἀλλ' οὐ πρὸς θεόν· εἰ δὲ ἓν μόνον ἐστίν, ὁ θεὸς ἂν εἴη μόνον καὶ τὰ τοῦ θεοῦ μέρη. ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἄτοπον, εἰ τοῖς πολλοῖς συμβέβηκε πεπεράνθαι πρὸς ἄλληλα, διὰ τοῦτο τὸ ἓν μὴ*

ἔχειν πέρας. πολλὰ γὰρ τοῖς πολλοῖς καὶ τῷ ἑνὶ ὑπάρχει ταὐτά, ἐπεὶ καὶ τὸ εἶναι κοινὸν αὐτοῖς ἐστίν. ἄτοπον οὖν ἴσως ἂν εἴη, εἰ διὰ τοῦτο μὴ φαῖμεν εἶναι τὸν θεόν, εἰ τὰ πολλά ἐστιν, ὅπως μὴ ὅμοιον ἔσται αὐτοῖς ταύτῃ.

Post ἔτι Brandis inserit τί; idem uerba inde ab ἀλλ' οὐ usque ad θεοῦ μέρη mutila quaedam ac disiecta argumentationis membra esse indicat. Mullach recte illud τί a Brandisio additum esse ratus eis quae secuntur ita medetur, ut post θεός (u. 2) ἕν „unam tantum sed grauissimam uoculam" inserat. Fauere uidetur Mullachio Feliciani interpretatio: „si uero unum tantum est, unum etiam tantum partes ipsius dei erunt." Vtriusque autem uiri emendatione nihil opus esse censeo, sed in uerborum contextu, qualem quidem cod. Lips. praebet, obscuritatem inesse nullam, immo recte procedere argumentationem. In cod. Lips. enim exstat εἷς ὢν ἄλλου πρὸς θεόν. In uoce ἄλλου etsi latere ἄλλον idque comprobari Feliciani conuersione Mullach bene intellexerat, tamen uolgatam lectionem sequi maluit. Iam uero qui illud ἄλλου in ἄλλον mutauerit, is adeo nihil mutabit, ut codicis auctoritatem eum secutum esse dicendum sit. Accedit, quod Felicianum ἄλλον legisse manifesto apparet; conuertit enim „finem, quantum ad alium deum spectat, non habet." Praeterea scribo pro μόνον ἐστίν propter uerbi emphasin μόνον ἔστιν; item τὰ πολλὰ ἔστιν u. 6. Itaque uerborum, in quibus uix ullam corruptelam inesse perspicuum erit, sententiam esse existimo hance: „deus, qui unus est, in alio deo non poterit finem habere; si uero unum tantum (esset), nihil esset nisi deus eiusque partes." Singularitate dei effici negat, ut nullos habeat terminos, nisi forte statuerimus Xenophani illud ἕν, quod deum uocet, esse τὸ πᾶν; hoc uero pugnare cum ipsius philosophi ratione et decretis p. 978, a, 2 seq. demonstrare studuerat. Mullach quidem argumentationis ratione postulari arbitratur, ut scribatur: εἰ δὲ ἓν μόνον ἐστὶν ὁ θεός, ἓν ἂν εἴη μόνον καὶ τὰ τοῦ θεοῦ μέρη, et Felicianum uidetur sequi, uocabulum καί interpretantem „etiam;" ego autem hac ipsa ratione uetari nos putauerim locum ita et corrigere et interpretari. Primum enim tantum abest, ut scriptor propter unius unitatem etiam partes esse unum statuat, ut alio loco (p. 979, a, 3) τὰ μέρη ἑνός, cum eius natura corporea sit, posse εἰς ἄλληλα κινεῖσθαι diserte affirmet. Deinde si reputauerimus scriptorem hic id unum agere, ut deum finibus posse circumscriptum esse demonstret, iure et offendamur oportebit sententia, qua admodum nihil argumenti afferatur, immo aliquid a scriptore alienum statuatur, et desideremus aliam, quo illud si non comprobetur, at certe uideri possit comprobatum esse. Nostram autem si secutus eris interpretationem, neque offenderis sententia ab hoc loco aliena, nec desiderabis necessariam. Verum non reticebo offensiunculam, in quam cadere posse hanc interpretationem ipse probe scio. Primo enim enuntiato uocem μέν uix posse deesse mihi obicietur. Hoc leuius esse quam quod urgeatur non comprobabo eo, quod offensio multo maior in altera insit interpretatione, cum post uerba ἀλλ' οὐ πρὸς θεόν necessario requiratur aliquid quod his uerbis contrarium sit; sed eo quod scriptoris non adeo diligentem esse dictionem satis constat, ut tale quid in eo ferri omnino nequeat. Cui uero uocula μέν pernecessaria uidebitur, is in uerba libelli tam foede corrupti eam inserere non habebit religioni.

Transeo ad alteram partem coli supra scripti. Verba ἐπεὶ καί scriptoris esse praefracte nego; coniunctione enim caussali prorsus nullam caussam uideo allatam. Cum autem uoce καί hoc enuntiatum adiciatur praecedenti, quod pariter absurdum sit (nihil esse praeter deum), non dubito quin legendum sit uerbis admodum leuiter mutatis: ἔτι δὲ καί. Facile apparet sententiarum conexum esse hunc: nec e notione dei unius, siquidem non statuerimus — id quod absurdum est — praeter deum nihil esse, neque e praecepto illo, non minus absurdo, quo idem τῷ ἑνί atque τοῖς πολλοῖς tribuere uetamur, cogere licet deum non esse finitum.

p. 978, b, 7 seqq: ἔτι τί κωλύει πεπεράνθαι καὶ ἔχειν πέρατα ἓν ὄντα τὸν θεόν; ὡς καὶ ὁ Παρμενίδης λέγει ἓν ὂν εἶναι αὐτὸν πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ, μεσσόθεν ἰσοπαλές.

Vox αὐτόν iure offendit interpretes, cum Parmenides nusquam de deo uno, sed usque quaque de eo quod unum est loquatur. Ueberweg quidem qui fide indignum esse scriptorem quondam*) negabat, immo ipsius Aristotelis esse libellum arbitrabatur, non magni momenti esse censebat hoc parum recte a scriptore traditum; nam cum sententia Parmenidis hoc fortasse non pugnare, etsi ille uocabulum θεός non usurpauisset. cf. Philol. VIII p. 109: „wie denn auch die abhandlung nicht gegen den sinn des Parmenides verstossen moechte, wenn sie sein seiendes gott nennt.“ Contra Vermehren p. 38 hunc locum adhibet unde demonstret non posse ad Aristotelem libellum referri. Neutri assentior. Enimuero magnae offensioni est in scriptore, qui philosophorum Eleaticorum decreta referat et percenseat, reperiri locum, quo doctrinae illius potissimum philosophi, qui apud ueteres huius sectae longe praestantissimus communi omnium opinione habebatur, adeo se praestiterit imperitum. Contra huic loco tantum tribuere quantum Vermehren dubito uereorque propterea quod eum incolumem esse atque incorruptum parum constat. Quid enim, si quis uel inde, quod illud αὐτόν tam praefracte pugnet cum doctrina Parmenidea, hoc utique corrigendum esse sibi persuaserit? Tale quid in aliis scriptoribus persaepe factum uideo et saepe communi uirorum doctorum sententia comprobatum. Quidni idem tolerari queat in libello, quem carcinomati simillimum esse olim Sylburg iure iudicabat?

At ne omnes quidem codices praebent αὐτόν; qui enim optimus omnium est, in codice Lipsiensi legitur αὐτό. Inde uocem αὐτόν corrigere nemo dubitabit, cum praesertim quod praecedit in eodem enuntiato uocabulum ὄν non possit referri ad αὐτόν. cf. antecedentis enuntiati uerba ἓν ὄντα τὸν θεόν. Sed neque licet αὐτόν cum cod. Lips. mutare in αὐτό, cum pronomen ad nihil pertinere possit nisi ad τὸν θεόν in praecedenti enuntiato, neque sufficit ad locum emendandum. Nulli enim est dubium, quin scriptor uerbis Parmenideis

*) Quam sententiam enim uir doctus in Philol. VIII p. 104 seqq. de libello eiusque auctore amplexus erat et defenderat, de ea Zelleri argumentationibus (Philos. der Griech. 1856 I p. 366 seqq.) se deductum esse ipse ingenue profitetur (grundriss der gesch. der philos. Berlin 1863. I. p. 34 not.); at inde non apparet eum concedere, se in singulis sententiis omnibus, quas in Philologo l. l. proposuerat, errauisse.

allatis id agat, ut eis hunc ipsum philosophum, licet pariter atque Xenophanes unitatem statuat, tamen fines non sustulisse demonstret. Quae uerba autem afferuntur, in eis hoc frustra quaeres; agitur enim in eis de figura conglobata, quam habere deum Xenophaneum, quamquam nec finitus nec infinitus dicatur, ipse tradit libelli scriptor. Docuit quidem Parmenides illud unum finitum esse, at alii uersus laudandi erant ad hoc decretum Parmenidi uindicandum. cf. Parm. fragmm. u. 86 Mull.:

κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη
πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει τε καὶ ἀμφὶς ἐέργει

siue fragmm. u. 109:

ἡ γὰρ πάντοθεν ἶσον ὁμῶς ἐν πείρασι κυρεῖ.

Itaque non modo *αὐτόν* pariter atque *αὐτό* offendit, sed etiam uersus Parmenidei, qui quidem a scriptore afferuntur, adeo importuni sunt et alieni a consilio huius disputationis, ut aut corruptela altius descendenti locum deprauatum esse aut scriptorem fuisse temeritate prorsus inaudita constare uideatur. Hoc uero omnes uerebuntur statuere, si emendatione a scriptore, quisquis est, tanta culpa demoueri potuerit. Atqui est emendatio in promptu ita quidem non comparata, ut ab omnibus fore ut probetur sperare ausim, nec uero tam audax et temeraria, ut plane sit reicienda. Conicio enim post uocem corruptam *αὐτόν* lacunam esse et intercidisse uersum, qui in carmine Parmenideo (cf. Simpl. in Arist. Phys. p. 31 b.) uerba adhuc in libello exstantia proxime praecedit; illud *αὐτόν* siue *αὐτό* nihil aliud esse nisi uocem *αὐτάρ*, quae uersus a librariis omissi prima est. Quam coniecturam si probaueris, hos uersus a scriptore laudatos fuisse existimabis:

αὐτὰρ ἐπεὶ πεῖρας πύματον τετελεσμένον ἐστίν,
πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης) ἐναλίγκιον ὄγκῳ*
μεσσόθεν ἰσοπαλές.

Tot uero uerba intercidisse in libello, qui paene innumeris scateat mendis, minime mirum. cf. p. 978, b, 15, ubi duodecim uerba, quae solus cod. Lips. peropportune seruauit, in ceteris codicibus omissa esse manifestum est. Sed ne hac quidem coniectura probata totum locum integritati restitutum censeo; offendunt enim uerba *λέγει ἓν ὂν εἶναι,* in quibus *ὂν* aperte corruptum est, quod ut eiciamus Felicianus uidetur suadere interpretatus: „quemadmodum etiam Parmenides unum esse ipsum inquit.“ Sed quam proxime ad lectionem librorum manu scriptorum accedendum esse ratus et persuasum habens etiam consilio scriptoris postulari mutationem uocis *λέγει*, haec genuina uerba fuisse existimo: *λέγων ἓν εἶναι* (scil. *φησίν*·), ut sententia sit: „quemadmodum Parmenides quoque, etiamsi unum esse statuit, (haec habet:)“ His emendationibus, quas iusto audaciores esse negauerim, comprobatis neque ulla remanebit in uerbis obscuritas et uersus allati accommodati apparebunt ad scriptoris consilium. Haec enim uidetur esse totius loci ratio: „Nihil obstat, quominus deus, licet unum sit *(ἓν ὄντα)*,

*) Simplicium secutus *σφαίρας* cum Mullachio mutaui in *σφαίρης*.

finibus sit circumscriptus, quemadmodum etiam Parmenides, quamquam unum tantum esse docet *(λέγων ἓν εἶναι)*, uersus habet, quibus illud unum, quod Xenophanem secutus conglobata figura esse putat *(σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ)*, discrepans a Xenophane finitum esse dicat *(πεῖρας πύματον)*.

p. 978, b, 10 seqq: *τὸ γὰρ πέρας τινὸς μὲν ἀνάγκη ἴσως εἶναι, οὐ μέντοι πρός τι γε, οὐδὲ ἀνάγκη τὸ ἔχον πέρας πρός τι ἔχειν πέρας, ὡς πεπερασμένον πρὸς τὸ μὴ ἐφεξῆς ἀπείρου, ἀλλ' ἐστὶ τὸ πεπεράνθαι ἔσχατα ἔχειν, ἔσχατα δ' ἔχον οὐκ ἀνάγκη πρός τι ἔχειν.*

Nolim cum Bekkero, ad quem Mullach se applicauit, in textum recipere *ἴσως* (u. 1), quod uir doctus pro uoce *ἶσον* scripsit, quae in nullo codice legitur uno Vaticano 1302 excepto. Etiam in codice Feliciani defuisse uidetur, ubi prima huius coli uerba sic redduntur: „terminum enim et finem alicuius quidem esse necesse est." Non dubitarem quidem scriptionem Bekkerianam sequi, si sententiam illo uocabulo deficiente mancam fieri uiderem; at non uideo. — Verba *πρὸς τὸ μὴ ἐφεξῆς ἀπείρου* quin ualde obscura sint, nemo dubitabit. Brandis *μή* transposuit ante *πρός*, sed ipse se nescire fatetur, quid sibi uelit uox *ἀπείρου*. Mullach legendum censet aut *πρὸς τὸ ἐφεξῆς ἄπειρον* aut *πρὸς τὸ ἐφεξῆς τοῦ ἀπείρου*. Illud in textum recepit adductus fortasse interpretatione Feliciani: „tamquam finitum ad id refertur, quod deinceps subsequitur infinitum." Equidem crediderim locum emendatione etiam leniore sanari posse. Mihi enim uidetur recte legi: *ὡς πεπερασμένον πρός τι τοῦ ἐφεξῆς ἀπείρου* i. e. quasi finitum sit aliqua infiniti parte, quam attingat.

p. 978, b, 14 seq: *ἐνίοις μὲν οὐ συμβαίνει πᾶν καὶ πεπεράνθαι.*

Post *πεπεράνθαι* nonnulla intercidisse cum per se est euidens, tum apparet e lectione cod. Lips., in quo adduntur haec: *πρός τι συνάπτειν, τοῖς δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέντοι πρός τι πεπεράνθαι.* Facile intellegitur lacunam in ceteris codicibus inde ortam esse, quod oculus librarii de sententia uerborum parum solliciti a uoce *πεπεράνθαι* ad eandem post modicum interuallum repetitam aberrauerit. Quod cum uix in dubium uocari possit, ea uerba a Bekkero non esse recepta mirari satis non queo. Brandis, qui cod. Lips. secutus indidem etiam *οὐ* recte mutauit in *οὖν*, uocem *καί*, quae necessario requiritur, interposuit inter *πεπεράνθαι* et *πρός τι συνάπτειν*. Locus igitur emendatius sic scribetur: *ἐνίοις μὲν οὖν συμβαίνει πᾶν, καὶ πεπεράνθαι καὶ πρός τι συνάπτειν, τοῖς δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέντοι πρός τι πεπεράνθαι.* Tamen ne sic quidem prorsus integrum eum existimauerim; offendo enim in uoce *πᾶν*, cuius loco *ἀμφότερον* uel tale quid exspectamus, cum illud *πᾶν*, quod nonnullis rebus tribui dicitur, duas tantum notiones amplectatur. Indicaui uolnus; quo uolneri medear, non habeo.

p. 978, b, 15 seq.: *πάλιν περὶ τοῦ ἀκίνητον εἶναι τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν, ὅτι καὶ τὸ ὂν κινεῖται, ἴσως ὁμοίως τοῖς ἔμπροσθεν ἄτοπον.*

Brandis, cui tres particulae negantes uidentur intercidisse, sic locum constitui uolt: *πάλιν περὶ τοῦ μὴ ἀκίνητον εἶναι τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν, ὅτι καὶ τὸ μὴ ὂν οὐ κινεῖται κ. τ. λ.*

Probatur hoc a Bergkio, qui praeterea particulam καί post ὅτι abiciendam putat utpote alienam ab hac conclusione. Mullach non contentus tot uocibus additis et una uoce expuncta insuper post εἶναι (u. 1) inserit καὶ μὴ κινεῖσθαι, quod in praecedenti capite τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν dictum sit οὔτε ἀκίνητον εἶναι οὔτε κινεῖσθαι. Permira mihi uidetur uirorum doctorum consensio, qua tres particulas negantes casu et fortuito in una sententia a librario temerario omissas esse sibi persuaserint. Accedit, quod scriptor in hac disputationis parte non id agit, ut τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν falso μὴ ἀκίνητον uocari demonstret, sed euincere studet τὸ μὴ ὄν recte μὴ κινεῖσθαι dici, perperam dici ἀκίνητον. cf. u. 23 eiusd. pag: τὸ μὲν οὖν μὴ κινεῖσθαι ἀληθὲς ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος, τὸ δὲ ἠρεμεῖν οὐχ ὑπάρχει τῷ μὴ ὄντι. notioni ἠρεμεῖν enim eandem uim esse quam notioni ἀκίνητον εἶναι in praecedd. (u. 20 seq.) affirmauerat. Inde nullam opem huic loco allatam esse Brandisii coniecturis uel ei apparebit, qui non offendatur hac ipsa corrigendi ratione. Equidem nusquam quicquam mutatum uelim nisi eo loco, ubi codicum discrepantia facillime mutationem admittit. Cod. Lips. (u. 1) non praebet τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν, sed mutato uerborum ordine τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν. Vtramque lectionem aspernor; recte legi existimo τὸ μὴ ὄν, quam emendationem confirmatam puto insolita illa coniunctione τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν, quam parum accurate Brandis reddidit: „ens seu unum.“ Atque ne Felicianus quidem uidetur legisse, quod codd. superstites praebent; conuertit enim: „praeterea quod inquit de eo quod immobile est et mouetur.“ Illud quidem Bergkio assentior uocem καί post ὅτι eiciendam esse. Haec autem sententia erit: „non minus absurde quam ea, quae supra commemorata sunt, philosophus τὸ μὴ ὄν ideo immobile sumit, quod ea quae sunt mouentur.“ De industria τὸ ὄν interpretatus sum „ea quae sunt;“ apparet enim scriptorem hoc loco, ubi aliquid contra praecepta logica a Xenophane peccatum redarguere accingitur, notionem τοῦ ὄντος non eo sensu usurpasse, quem habet in doctrina Eleatica. Simile quid inuenies p. 978, a, 29 seqq. Hoc enim nostro loco obicit scriptor Xenophani, quod τὸ μὴ ὄν, quippe cui motus tribui nequeat, uocauerit immobile. Non moueri quidem suo iure Xenophanem potuisse dicere τὸ μὴ ὄν, iniuria autem τὸ μὴ ὄν immobile ab eo esse uocatum. Verbis proxime subsequentibus argumentum affertur.

> p. 978, b, 17 seqq: καὶ ἔτι ἆρά γε οὐ ταὐτὸ ἄν τις ὑπολάβοι τὸ μὴ κινεῖσθαι καὶ τὸ ἀκίνητον εἶναι, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀπόφασιν τοῦ κινεῖσθαι, ὥσπερ τὸ μὴ ἴσον, ὅπερ καὶ κατὰ τοῦ μὴ ὄντος, εἴπερ ἀληθές, τὸ δὲ ἀκίνητον τῷ ἔχειν πως ἤδη λέγεσθαι, ὥσπερ τὸ ἄνισον, καὶ ἐπὶ τῷ ἐναντίῳ τοῦ κινεῖσθαι τῷ ἠρεμεῖν, ὡς καὶ σχεδὸν οἱ ἀπὸ τοῦ α ἀποφάσεις ἐπὶ ἐναντίοις λέγονται. τὸ μὲν οὖν μὴ κινεῖσθαι ἀληθὲς ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος, τὸ δὲ ἠρεμεῖν οὐχ ὑπάρχει τῷ μὴ ὄντι.

Bergk u. 1 sribendum putat καὶ ἐστὶν ἆρα γε οὐ ταὐτό, ὃ ἄν τις, u. 3 εἴπερ expunxit, ex praegresso ὅπερ ortum ratus (Brandis εἴη περ, quod nullo pacto ferri potest, proposuerat). Deinde praepositionem ἐπί, quotiens in hoc colo occurrit, cum genetiuo coniunxit, unde factum est, ut etiam illud τοῦ post ἐναντίῳ in τῷ mutare cogeretur. Pro uocula οἱ, quia ad ἀποφάσεις pertinere manifestum est, e cod. Lips. recte αἱ scripsit. Mullach etsi recte dici

ἐπί τινος λέγειν concedit, tamen ἐπί τινι λέγειν, quod uolgo de mortuorum laudationibus usurpatum sit, interdum uix differre censet ab altero loquendi genere; conferri iubet Aesch. Sept. 905 et Soph. Oed. Colon. 415. Quapropter ultima seruari uolt, quemadmodum in Lipsiensi libro exarata exstent, nisi quod cum Bekkero ἐπὶ ἐναντίοις pro ἐπὶ ἐναντίων scribendum existimat. Verum prior pars uerborum apud Mullachium nequaquam immutata manet. Commodiorem enim fieri constructionem putat, si pro καὶ ἔτι ἄρα γε οὐ ταὐτὸ ἄν τις ὑπολάβοι, τὸ μὴ κινεῖσθαι reponamus καὶ δεῖ ἄρα γε οὐ ταὐτό, ὃ ἄν τις ὑπολάβοι, εἶναι τὸ μὴ κινεῖσθαι ac praeterea εἴπερ ἀληθές in ἐστὶν ἀληθές mutemus.

In priore parte utrum emendationes Bergkii an Mullachii comprobem, animi pendeo. Habet enim uterque quo placeat, habet uterque quo offendat. Bergk propius quidem ad codd. lectionem accedit, sed quod infinitiuos ἀλλὰ τὸ μὲν .... κινεῖσθαι ... λέγεσθαι „per attractionem a uerbo ὑπολάβοι suspensos esse" uolt, non est eiusmodi, ut omnibus acceptum sit. Mullach hanc quidem offensionem fugit; sed mutationes paullo audaciores proposuit, atque ne collocatio quidem uocis εἶναι, quam inseruit ante τὸ μὴ κινεῖσθαι, a me comprobabitur, cum sic minus apte a uoce ταὐτό dirimatur. A neutro autem omnia librariorum menda depulsa esse ideo putauerim, quod per particulam ἄρα hoc enuntiatum perperam, opinor, cum praecedenti conectitur; particulà γάρ enim quin hic requiratur, non dubito. Verum quomodo in loco corrigendo hae offensiones, quas indicaui, omnes mutatione satis probabili euitari possint, non habeo dicere. — u. 3. εἴπερ cum Bergkio delere uereor; rectius erit aut cum Mullachio ἐστι scribere, aut εἴπερ eo consilio retinere, ut in εἴπερ ἀληθές subaudiri statuamus ἐστίν. Si hunc in modum nihil mutatur, nihil eicitur, sensus erit uerborum: „non moueri quidem cadit in τὸ μὴ ὄν, perinde atque τὸ μὴ ὄν non aequale esse dici potest, siquidem hac ratione philosophandi aliquid ueri efficitur, i. e. siquidem hoc demonstrandi genus ad uerum inueniendum aliquid proficit." Scriptor enim supra (p. 978, a, 32) docuerat iudicandum esse de rebus, non earum qualitatum quas non habent ratione habita, sed earum quas habent. Hanc interpretationem, quippe quae ex ipso libello confirmetur, omnibus emendationibus praeferre non dubitarem, nisi in eodem libello (u. 23) haec uerba subsequerentur: τὸ μὲν οὖν μὴ κινεῖσθαι ἀληθὲς ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος. Verum haud scio an ita sententias discrepantes recte conciliemus, ut nostrum quidem locum in eam sententiam, quam indicaui, accipiamus, uerbis (u. 23) autem hoc solum scriptorem exprimi uoluisse statuamus, praeceptis logicis nos non impediri, quominus τὸ μὴ ὄν non moueri dicamus. In reliqua parte nihil mutandum censeo; Bergkium enim perperam statuisse praepositionem ἐπί cum genetiuo necessario hic scribendum esse, Mullach recte quidem monuit, debebat autem exempla e prosa oratione petita afferre, uelut Xen. Mem. III, 14, 2: λόγου ὄντος περὶ ὀνομάτων, ἐφ' οἵῳ ἔργῳ ἕκαστον εἴη, Ἔχοιμεν ἄν, ἔφη, ὦ ἄνδρες, εἰπεῖν ἐπὶ ποίῳ ποτὲ ἔργῳ ἄνθρωπος ὀψοφάγος καλεῖται .... ἀλλ' οὐκ οἶμαί πω ἐπί γε τούτῳ ὀψοφάγοι καλοῦνται. cf. Plat. Soph. 218, c; Rep. V, 470, b. Ex eodem Platone Krueger (gramm. 68, 41, 5) locum affert, unde ἐπί cum datiuo fere eandem uim habere quam περί cum genetiuo manifesto apparet. Itaque uolgatam secutus

ne illud quidem recipiam, quod Bergk proposuit et Mullach probauit: ante τῷ ἔχειν praepositionem ἐπί inserendam esse. Nihil enim hanc addi opus esse, iam loci interpretatio ostendet, quam paucis absoluam: „Parum recte dixerit quispiam idem esse non moueri et immobile esse; illud enim negatio motus est (contradictorie oppositum), uelut non aequale, quod eodem iure de eo quod non est dicitur, siquidem istae negationes ueri aliquid (quod ad rem ipsam pertineat) habent; immobile autem aliquid dicitur eo quod quodammodo se habet, uelut inaequale, ac quidem dicitur de eo quod motui contrarie oppositum est, i. e. de eo quod quiescit; quemadmodum uolgo uoces negantes, quae ἄλφα priuatiuo fiunt, de eis rebus dicuntur, quae contrarie (non contradictorie) oppositae sunt."

p. 978, b, 23 seqq: *τὸ μὲν οὖν μὴ κινεῖσθαι ἀληθὲς ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος, τὸ δὲ ἠρεμεῖν οὐχ ὑπάρχει τῷ μὴ ὄντι. ὁμοίως δὲ οὐδὲ ἀκίνητον εἶναι σημαίνει ταὐτόν. ἀλλ' οὗτος ἐπὶ τῷ ἠρεμεῖν αὐτῷ χρῆται, καὶ φησὶ τὸ μὴ ὂν ἠρεμεῖν, ὅτι οὐκ ἔχει μετάβασιν. ὅπερ τε καὶ ἐν τοῖς ἄνω εἴπομεν, ἄτοπον ἴσως, εἴ τι τῷ μὴ ὄντι προσάπτομεν, τοῦτο μὴ ἀληθὲς εἶναι κατὰ τοῦ ὄντος εἰπεῖν, ἄλλως τε κἂν ἀπόφασις ᾖ τὸ λεχθέν, τῶν καὶ τὸ μὴ κινεῖσθαι μηδὲ μεταλαμβάνειν ἐστίν.*

Partem priorem sic refingendam arbitror: *τὸ μὲν οὖν μὴ κινεῖσθαι ἀληθὲς ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος, τὸ δὲ ἠρεμεῖν οὐχ ὑπάρχει τῷ μὴ ὄντι.* ἀλλ' οὗτος ἐπὶ τῷ ἠρεμεῖν αὐτῷ χρῆται καί φησι τὸ μὴ ὂν ἠρεμεῖν, ὅτι οὐκ ἔχει μετάβασιν. ὁμοίως δὲ οὐδὲ ἀκίνητον εἶναι σημαίνει τὸ ὄν. *ὅπερ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἄνω κ. τ. λ.* Transposui enuntiatum *ἀλλ' οὗτος — μετάβασιν* ante *ὁμοίως δὲ — ταὐτόν*, quorum uerborum ultimum mutaui in *τὸ ὄν*. Deinde scripsi *δέ* pro *τε*, quod in uno Lipsiensi exemplari exstat; in ceteris codd. uocula plane omissa est.

Paucis exponam, quibus caussis ut tam multa mutarem adductus sim. Lectionem uolgatam mendis non carere iam Brandis perspexerat; coniecit enim ante *σημαίνει* inserendum esse *ὅ*, quam emendationem Mullach comprobauit. At ne sic quidem orationem recte procedere mihi persuaserim. Primum enim eam sententiam quae continetur uerbis *ὁμοίως — ταὐτόν* iam in praecedd. satis superque expressam uidemus. cf. p. 978, b, 17 seqq. Deinde quid hoc loco sibi uelint uerba *ἀλλ' οὗτος*, cum per particulam *ἀλλά* praecedentibus opponantur, per mihi obscurum est; nam Xenophani perinde atque libelli scriptori *ἀκίνητον εἶναι* idem esse quod *ἠρεμεῖν* cum ex hoc ipso loco apparet, tum scriptor ipse in enarratione decretorum (cap. III) docuerat. cf. p. 977, b, 10: *ἠρεμεῖν δὲ καὶ ἀκίνητον εἶναι τὸ οὐδέν.* Desideramus denique ante uerba *ὅπερ τε* commemorationem decreti, quod in seqq. impugnatur. nam inde ab his uerbis scriptorem aggredi ad refutandum illud placitum, quo Xenophanes *τὸ ὂν* ne immobile quidem esse statuerat, ne idem *τῷ ὄντι* atque *τῷ μὴ ὄντι* tribueret, unusquisque concedet. Consuesse autem scriptorem, quotienscunque ad aliud decretum refellendum transit, de hoc ipso antea paucis mentionem facere, locis allatis euincam: p. 977, b, 21; 27. p. 978, a, 7; 16; 34. b, 1; 7; 15. Has omnes offensiones easque haud leues effugiemus, si uerba ita transposuerimus, ut supra suasi. At non sufficit. Praeterea enim *τὸ ὂν* scribendum est pro

ταὐτόν, ut sententia sit: „pariter (i. e. non minus absurde) neque immobile esse (Xenophanes) statuit id quod est.“ Voce *σημαίνειν* ita usurpata scrupulum moueri me non fallit, quamquam hoc sensu eam ferri non posse pro explorato non habeo. Fortasse autem lectio cod. Lips: *συμβαίνει* recipienda est et hac recepta *ταὐτόν* mutandum in *τῷ ὄντι*. Quod si cui acceptum erit, is hanc habebit sententiam: „pariter neque immobile esse dicitur (a Xenophane) id quod est.“ — Porro (u. 4) *ὅπερ δέ*, cum cod. Lips. praebeat *ὅπερ τε*, mutationem probabiliorem esse ea, quam Mullach proposuit *ἀλλ' ὅπερ*, cuiuis est perspicuum.

In parte posteriore pro *λεχθέν, τῶν* legendum censeo *λεχθέν, ὧν*. Mullach mauolt *οἷα*, leniore mutatione propterea, opinor, repudiata, quod numerus singularis praecedit. Hoc uero non obstare, exemplis satis multis probatur. cf. Matthiae gramm. § 434, 2, b. Itaque uerisimilius esse puto illud latere in lectione uolgata *ἐλεχθέντων*, quam Mullach recte monstrum nominauit. — Pro uoce paenultima Mullach *μεταβαίνειν* restituit, et quomodo haec corruptela in uerborum contextum irrepere potuisset, docte et acute ostendit. Mullachii argumentis adde, quod in hoc ipso colo scriptor uocem *μετάβασιν* habet et Felicianus interpretatur: „non transire.“

Totius autem loci ita ut proposui correcti haec erit sententia: „non moueri quidem dici potest de eo quod non est, quiescere uero dici non potest. at iste notionem *οὐ κινεῖσθαι* eodem sensu accipit quo *ἠρεμεῖν*, et id quod non est quiescere dicit, quia locum non mutet. Non minus inepte ab eo neque immobile esse id quod est dicitur; quod autem supra diximus, haud scio an absurdum uideatur, si quid ei quod non est tribuerimus, id negare de eo quod est dici posse, praesertim, si id quod pronuntiatur negatio est, cuius generis etiam non moueri et locum non mutare est.“

> p. 978, b, 30 seqq: *πολλὰ γὰρ ἄν, καθάπερ καὶ ἐλέχθη, ἀφαιροῖτο τῶν ὄντων κατηγορεῖ. οὐδὲ γὰρ ἂν πολλὰ ἀληθὲς εἰπεῖν εἴη μὴ ἕν, εἴτε ἐπ' ἐνίων τἀναντία ξυμβαίνειν δοκεῖ κατὰ τοσαύτας ἀποφάσεις· ὧν ἀνάγκη ἢ ἴσον ἢ ἄνισον, ἄν τι πλῆθος ᾖ, καὶ μὴ ὡς ᾗ καὶ ἄρτιον ἢ περιττόν, ἂν ἀριθμὸς ᾖ. ὁμοίως δὲ ὡς καὶ τὸ ἠρεμεῖν ἢ κινεῖσθαι ἀνάγκη, ἂν σῶμα ᾖ.*

Brandis haec uerba et quae secuntur in eodem capite non posse emendari ratus sine „sanante codicis ope“, nihil annotauit. Id unum ei persuasum est scriptorem hoc uelle demonstrare: „eiusmodi oppositorum, ueluti moueri ac quiescere, tribui unicuique rei alterutrum debere.“ (cf. comm. eleatt. p. 84). Mullach prima uerba sic corrigit: *πολλα γάρ* (omisso *ἄν*), *καθάπερ καὶ ἐλέχθη, ὁμοίως ἐπὶ τῶν ὄντων κατηγορεῖται*. Huic emendationi suffragatur Feliciani interpretatio: „multa enim, ut etiam dictum est, de entibus simili modo dicuntur.“ Videtur igitur haec coniectura lectione illius codicis, quo Felicianus olim utebatur, confirmari; sed cum „incertum sit, utrum Felicianus omnia codici debuerit an nonnulla etiam coniectura ductus temptauerit“ (cf. Mullach p. 271), eum sequi omnibus eis locis nostro iure dubitabimus, ubi ratione argumentationis alius uerborum contextus exposcatur et efflagitetur. Ea autem procul dubio huius loci condicio est. Ego certe non perspicio, quomodo oratio recte procedere

possit uideri, si ad Mullachium nos applicauerimus sic interpretantem: „multa enim, quemadmodum diximus, aeque recte de rebus, quae sunt, affirmantur. Neque enim consentaneum foret multa appellare non unum (nisi modo simpliciter rem eloqui modo per negationem enuntiare liceret) siquidem etiam non ens non unum est.“ Verba uncis inclusa explicationis caussa uir doctus addidit; at ne his quidem additis tenebras dispulsas esse uideo. Nullo pacto enim credere possum scriptorem perobscurum illud cogitasse: multa aeque recte tribui eis quae sunt, quia perperam multa dicerentur esse non unum. Melior euadet sententia hac mutatione leniore: *πολλὰ γὰρ ἄν, καθάπερ καὶ ἐλέχθη, ἀφαιροῖτο, ἃ* (hanc uocem insero) *τῶν ὄντων κατηγορεῖται*, hoc est: multa enim, ut supra exposuimus (cf. p. 978, a, 29 seqq.), detraherentur, quae de eis quae sunt dicuntur; nam ne multa quidem recte dicerentur esse non unum, siquidem etiam id quod non est non unum est.

Vocabulum *εἴτε* u. 3 corrigendum est; sed num a Mullachio recte *εἶτα* scribatur, dubito. Voce enim hunc in modum mutata ea quae secuntur ita opponuntur eis quae praecedunt, ut inde res noua uideatur inchoari. Hanc nouam autem sententiam „deinde in quibusdam rebus contraria eisdem negationibus accidere uidentur“ (Mullachio interprete), etiamsi tam uera sit, ut nemo quisquam eam impugnare uelit, a scriptoris consilio alienam esse inde apparet, quod neque cum praecedentibus neque cum subsequentibus ullo modo cohaerere uidetur. Itaque non dubito, quin pro *εἴτε* legendum sit *οὔτε*. Hac quidem mutatione recepta etiam illud *οὐδέ* ante *γὰρ ἂν πολλά* mutandum erit in *οὔτε*, cum coniuncta illa *οὐδὲ .... οὔτε*, siquidem occurrunt, tam raro occurrunt, (cf. Matthiae gramm. § 609, 1, β), ut, si quis per coniecturam ea in textum recipere uoluerit, is parum circumspecte iudicasse haud immerito dicatur. Forsitan uero praestet pro *εἴτε* scribere *οὐδέ*, quo alterum *οὐδέ*, quod ante *γὰρ ἂν πολλά* legitur, excipiatur. — In eodem enuntiato displicet, quod Mullach e cod. Lips. legi iubet *κατὰ τὰς αὐτὰς ἀποφάσεις*; malim retinere lectionem uolgatam una litera mutata *κατὰ τοιαύτας ἀποφάσεις*. — In sequenti enuntiato non est, cur cum Mullachio *ἐξ* ante *ὧν* et *εἶναι* post *ἴσον* addenda statuas. — Pro ineptis illis *καὶ μὴ ὡς ἢ καί* Mullach recte restituit *καὶ ὁμοίως ᾖ*; minus recte autem in postremo enuntiato *ὡς* eiecit, ubi lectio libri Lipsiensis sine dubio uera est: *ὁμοίως δ' ἴσως*. — Magno opere, ut hoc addam, miror, Mullachium dicere huic ipsi loco a Feliciano „non multum luminis“ afferri, quod paene omnes mutationes suas Feliciani auctoritate tueri poterat.

Itaque hunc existimo esse uerborum contextum genuinum: *πολλὰ γὰρ ἄν, καθάπερ καὶ ἐλέχθη, ἀφαιροῖτο ἃ τῶν ὄντων κατηγορεῖται. οὐδὲ γὰρ ἂν πολλὰ ἀληθὲς εἰπεῖν εἴη μὴ ἕν, εἴπερ καὶ τὸ μὴ ὂν ἐστι μὴ ἕν, οὐδὲ ἐπ' ἐνίων τἀναντία ξυμβαίνειν δοκεῖ κατὰ τοιαύτας ἀποφάσεις, ὧν ἀνάγκη ἢ ἴσον ἢ ἄνισον, ἄν τι πλῆθος ᾖ, καὶ ὁμοίως ἢ ἄρτιον ἢ περιττόν, ἂν ἀριθμὸς ᾖ· ὁμοίως δ' ἴσως καὶ τὸ ἠρεμεῖν ἢ κινεῖσθαι ἀνάγκη, ἂν σῶμα ᾖ*. Latine reddita: „multa enim, ut supra dictum est, detraherentur, quae de eis quae sunt affirmantur. Neque enim ea quae multa sunt*) recte dicerentur esse non unum, siquidem etiam id quod non est non unum

*) Non aduersabor, si quis *τὰ πολλά* scribendum statuerit.

est, neque de nonnullis rebus contraria dici posse uidentur, si eiusmodi negationibus utimur; quarum (rerum), si qua multitudine constat, aut aequalem eam aut inaequalem (esse) oportet, et simili modo, si quid numerus est, aut par aut impar; simili modo autem haud scio an aut quiescat aut moueatur, si quid corpus est.“ Haec uolt scriptor exprimi: si *τῷ μὴ ὄντι* tribueretur (ut exemplo utar) *τὸ μὴ ἴσον*, nihil posse tribui *τῷ ὄντι* nisi *τὸ ἴσον*; nam si *τὸ μὴ ἴσον* uel *τὸ ἄνισον* — haec enim idem ualent apud Xenophanem — de aliquo quod est diceretur, futurum esse, ut idem de eo quod est atque de eo quod non est diceretur. Tolli igitur hac inepta ratiocinatione ex eis, quae sunt, omnia contraria. — Apparet autem scriptorem parum caute ad *τὰ ὄντα* rettulisse, quod ad *τὸ ὄν* pertinere uolebat Xenophanes.

> p. 978, b, 37 seqq: *ἔτι εἰ καὶ διὰ τοῦτο μὴ κινεῖται ὁ θεός τε καὶ τὸ ἕν, ὅτι τὰ πολλὰ κινεῖται τῷ εἰς ἄλληλα ἰέναι, τί κωλύει καὶ τὸν θεὸν κινεῖσθαι εἰς ἄλλο; οὐδα τι μόνον, ἀλλ' ὅτι εἷς μόνος θεός. εἰ δὲ καὶ αὐτός, τί κωλύει εἰς ἄλληλα κινουμένων τῶν μερῶν τοῦ . . . κύκλῳ φε . . . θεόν; οὐ γὰρ δὴ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων πολλὰ εἶναι φύσει. αὐτὸς γὰρ σῶμα λέγει εἶναι τὸν θεόν, εἴτε τόδε τὸ πᾶν, εἴτε ὅ τι δήποτε αὐτὸ λέγων. ἀσώματος γὰρ ὢν πῶς ἂν σφαιροειδὴς εἴη ἐπιμόνως, ὅταν οὕτως οὔι' ἂν κινοῖτο οὔτ' ἠρεμοῖ μηδαμοῦ γε ὤν; ἐπεὶ δὲ σῶμά ἐστι, τί ἂν αὐτὸ κωλύοι κινεῖσθαι, ὡς ἐλέχθη;*

Peruenimus ad locum, qui cum librariorum culpa ualde deprauatus et mutilus, tum grauissimus est eo, quod inde uiri doctissimi argumentum petiuerunt, quo capp. III et IV ad Zenonem pertinere si non euicisse, at saltem confirmasse sibi uiderentur.

Bergk u. 1 pro *ἕν* legendum censet *πᾶν*. Cum uir doctus nihil attulerit, quo haec correctio probabilis uideri possit, ego cur eam improbandam esse existimem, paucis ostendam. Vtrum secundum Xenophanem deus idem sit quod uniuersa rerum natura, an praeter deum aliae res sint, scriptor in seqq. quidem (*εἴτε τόδε τὸ πᾶν — λέγων*) in dubio relinquit; initio autem huius refutationis id agit, ut inde, quod *τὰ πολλά* semper ita moueantur, ut aliud transeat ad aliud, sequi neget, ut deus moueri non possit. Licet enim uon ita ut *τὰ πολλά* (scil. *εἰς ἄλληλα*) eum moueri posse concesseris, tamen nihil obstare, quominus moueatur *εἰς ἄλλο*. Quomodo autem *τὸ πὰν* possit moueri *εἰς ἄλλο*, mens et cogitatio capere non potest.

Verba mutila *οὐδα τι μόνον* siue ut in cod. Lips. paullo pleniora exstant *οὐδα . . . ὅτι . . . μόνον* Bergk dubitanter supplet sic: *οὐδαμῶς γε ὅτι ἀνόμοιος*. At huic quoque emendationi aduersatur ratio huius disputationis. Si enim in *οὐδαμῶς γε* subaudietur *κωλύεται* — quid aliud rectius subaudiri possit, non uideo — haec erit sententia: „nequaquam deus quominus moueatur eo impeditur, quod inaequalis est, sed quod modo unus deus est.“ Atqui non obstat motui, quod praeter eum nemo alius deus est, — nam quid uetat eum ad aliud quicquam quod non sit deus moueri? — sed quod praeter eum nihil aliud est. Quod uero ad uerba *ὅτι ἀνόμοιος* attinet, hoc adiectiuo sine datiuo hic posito me offendi non nego. Locus igitur a Bergkio non uidetur sanatus esse. Neque uero magis iuuamur emendatione Mullachii scribi iubentis: *οὐδαμῶς γε ὅτι θεὸς μόνον, ἀλλ' ὅτι εἷς μόνος θεός*. Eodem

enim uitio haec scriptio laborat, quod in Bergkiana notaui. Felicianus haec uerba plane omisit. Mihi autem hunc in modum lacuna recte uidetur expleta: οὐδαμῶς γὰρ λέγει ὅτι ἓν μόνον, ἀλλ' ὅτι εἷς μόνος θεός. Ordo sententiarum est hic: „ea quae multa sunt semper εἰς ἄλληλα mouentur; quodsi ei quod unum est cum eis quae multa sunt nihil commune esse statuendum sit, tamen illud restat, ut illud unum moueatur εἰς ἄλλο. Id quidem tum sumi non poterit, cum Xenophani τὸ ἓν idem fuisse quod τὸ πᾶν nobis persuasum fuerit. Atqui hoc sumere nobis licet, nam iste nusquam deum talem esse uolt, ut sit illud unum, quod uere est (nulla res praeter eum), sed ut sit deus unus atque singularis (contra uolgarem opinionem, qua plures dei finguntur). In seqq. (εἰ δὲ καὶ κ.τ.λ.) scriptor, ut nihil sit praeter deum, Xenophani largitur eo consilio, ut uel inde sequi neget, deum Xenophaneum non moueri; conglobata enim figura eum esse ideoque corporeum; ergo secundum Zenonis decretum non indiuiduum, non uere ἓν sed πολλά.

Verbis εἰ δὲ καὶ αὐτός Bergk ante αὐτός addidit uoculam μή, qua recepta Mullach post αὐτός insuper κινεῖται addidit. Vtrumque comprobatur Feliciani interpretatione „si autem ipse non mouetur." Fortasse uero nihil opus erit emendationibus, si subaudiendum statuerimus κωλύεται. Verumtamen si corruptum hunc locum habuerimus, sufficiet cum Bergkio μή inseruisse; nam siquidem in latissimum campum coniecturarum euagari licebit, orationis concinnitati melius, opinor, is consulet, qui non contentus correctione Bergkiana pro αὐτός — haec enim uox nequaquam in omnibus codd. exstat; in cod. Lips. legitur οὗτος — scripserit εἰς ἄλλο, quam qui Mullachium secutus κινεῖται addidit.

Lacunam, qua enuntiatum quod subsequitur infestatum est Beck et Bergk redintegrauerunt sic: τοῦ θεοῦ κύκλῳ φέρεσθαι τὸν θεόν. Zeller (philos. der griech. I p. 368) mauolt ἑνός quam θεοῦ. Cum uero Felicianus uerba hunc in modum latine reddat: „quid uetat partes ipsius omnia ambientis dei in sese mutuo moueri?" plus uerborum intercidisse suspicor. Fortasse legendum est τοῦ πάντα περιέχοντος θεοῦ κύκλῳ κ. τ. λ. uel, si mauis, τοῦ περιέχοντος θεοῦ, nam περιέχειν altero illo uocabulo non addito fere idem ualet. cf. Arist. rhet. III, 5 p. 1407, a, 31. Met. IV, 26 p. 1023, b, 26.

Secuntur uerba: οὐ γὰρ δὴ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων πολλὰ εἶναι φύσει. Codd. Palatinus Vaticanus 162, Vaticanus 1302, Vrbinas 108 apud Bekkerum et Lipsiensis (cf. Bergk p. 37) pro φύσει praebent φήσει. Felicianus conuertit: „quippe cum unum, quod Zeno inquit, multa natura esse uideatur." Videamus, quibus rationibus uiri docti hunc locum aut interpretari aut emendare uoluerint atque quid de eorum sententiis iudicandum sit. Fuelleborn (p. 17) pro Ζήνων scribendum esse Ξενοφάνης neminem fore qui infitietur censet, inde hoc suspicatus, quod capp. III et IV ad Xenophanem referenda sint; sed quoniam hac coniectura non recepta nihilo secius haec capita ad Xenophanem pertinere mihi quidem persuasum est, non est quod ad Fuellebornium nos applicemus. Bergk haec habet p. 37: „itidem plane requiritur, ut φησί pro φύσει substituatur, confirmatque cod. Lips. qui φήσει exhibet. Hoc enim dicit Aristoteles, Xenophani deus corpus est habetque membra siue partes, non igitur Vnum illud plane est

indiuiduum, quemadmodum Zenoni placet." Conferri iubet Themist. f. 18: *Ζήνων ἐκ τοῦ συνεχές — σωμάτων* et Simpl. in Phys. p. 30: *καὶ ὁ Θεμίστιος — σωμάτων.* At non intellego, quomodo in uerbis uti ille uolt restitutis haec sententia inesse possit. Si enim uerbum uerbo reddideris, hoc dicet scriptor: „neque enim tale unum, ut (ait) Zeno, multa esse dicit." Quam sententiam non accommodatam esse scriptoris argumentationi manifestum est. Illud enim procul dubio hoc enuntiato demonstrare uolt scriptor, Xenophanem quamquam uerbis unum statuerit, tamen re in illo ipso quod unum dicat multitudinem esse concedere. Recte hoc Ueberweg, cui in ceteris non assentior, perspexit Philol. VIII p. 108.*) Mullach ad hunc locum annotauit haec: „Vt sensum uerborum assecutus est Bergkius, ita locum non ita constituit, ut nihil desit ad sententiae integritatem. Flagitatur enim uocula, qua Xenophanis decretum Zenonis dogmati opponatur. Itaque *ἀλλά* inserendum inter *Ζήνων* et *πολλά*. Tum uero in uerbis *οὐ γὰρ δὴ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων ἀλλὰ πολλὰ εἶναί φησιν* manifestum *τὸ τοιοῦτον* dici de deo, quem Xenophanes non unum, ut Zeno, sed propter partes in corporea natura necessarias multiplicem esse ait." At primum solis luce clarius est aliud exprimi uerbis secundum Bergkii emendationem scriptis, aliud Mullachiana lectione. Id cuiuis apparebit ex ipsius Mullachii interpretatione. Deinde uero nusquam Xenophanes dicit deum multiplicem esse, quamquam inde, quod eum esse conglobata figura docet, iudici et existimatori colligendum est illud unum non *φύσει* unum esse, sed tantummodo uerbis. Ueberweg acutius quidem quam Bergk et Mullach, quae sententia hic efflagitetur, perspiciens tamen uerborum contextum non ita constituit, ut uerum assecutus esse uideatur. Dicit enim l. l. haec: „die dem sinne vollkommen angemessene alte uebersetzung des Felicianus: „quippe cum unum, quod Zeno inquit, multa natura esse uideatur" scheint auf einen etwas andern text als den unserer handschrr. zu deuten. Wir conjiciren: *οὐ γὰρ δεῖ* (statt *δή*) *τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων . . . πολλὰ εἶναι φύσει;* So viel ist evident, dass in den worten *ὥσπερ ὁ Ζήνων* kein anderer als der bekaempfte philosoph bezeichnet wird. Es ist somit nicht zu bezweifeln, dass der verfasser der abhandlung selbst den inhalt von c. 3 und 4 auf Zeno beziehe, und dass die ueberschrift dieses theiles: *περὶ Ζήνωνος*, welche sich auch in der mehrzahl der handschriften noch vorfindet, durchaus die richtige sei." Bifariam errare uidetur uir doctus ita disputans; nam neque lectio *δεῖ* confirmatur Feliciani interpretatione, neque *ὥσπερ* mea quidem sententia sic usurpari potest, ut ille statuit. Exspectares *οἷον*. Itaque iacet etiam id quod inde concludi uolebat. Zeller, qui haec uerba l. l. adhibet ad sententiam suam confirmandam, qua capp. III et IV de Zenone agi existimat, posse quidem dicit haec intellegi nulla uoce mutata, siquidem lectio cod. Lips. *(φήσει)* recepta sit. Hoc enim his uerbis et eis quae subsequantur exprimi: „denn unser gegner kann nicht, wie Zeno, einwenden, ein solches sich kreisförmig bewegendes eins waere gar kein eins, sondern eine vielheit, da er selbst die

---

*) Apparet ibi u. 20 mendo typographico „einfach" pro „vielfach" exstare.

gottheit kugelgestaltig nennt."*) Cum autem Zenonem tale quid docuisse a nullo auctore traditum sit, haec sententia uero, qua statuatur unum fieri multa, si locum mutauerit cap. I p. 974, a, 18 seqq. exstet, uerisimile esse ad hunc ipsius libelli locum uerba ὥσπερ ὁ Ζήνων referenda esse; addita enim uideri ab interpolatore, cui capp. I et II de Zenone agi persuasum fuerit. Quam coniecturam si quis iusto audaciorem esse putauerit, quamquam in libello corruptelarum sordibus operto non sit cur repudietur, is uocem ὥσπερ expungat, qua deleta Zenonis decreta in altera libelli parte et referri et percenseri aperte et diserte dicantur, aut pro Ζήνων restituat Μέλισσος, cuius iam initio cap. IV mentio facta sit. — Inter omnia, quae uir doctissimus ad locum nostrum annotauit, ratio illa maxime placet, qua uerba, quemadmodum in cod. Lips. exstant, acute explicauit: tamen huic interpretationi non solum id aduersatur, quod tale Zenonis decretum a nullo alio scriptore memoratur: sed etiam quod infinitiuo condicionali uix uocula ἄν deesse potest. Hoc decretum autem ipsum ne in capite primo quidem exstare Vermehren Zellero rectissime obiecit (p. 42). Quod denique Zeller uocem ὥσπερ fortasse eiciendam esse statuit, id cum et omnes codices repugnent et nullo alio loco ne initio quidem nomen philosophi de quo agitur memoretur, probandum esse praefracte negauerim. Restat ut meam de hoc loco sanando dicam sententiam. Pariter atque Ueberweg ad auctoritatem Feliciani me conferens aliam emendandi rationem ab illius interpretatione repetendam esse censeo. Cum enim ibi uerba „uideatur" et „inquit" legantur, ueram esse lectionem conicio hance: οὐ γὰρ δοκεῖ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων φησί, πολλὰ εἶναι φύσει; Etiam Ueberweg post Ζήνων lacunam esse suspicatus tamen non expleuit; atque Fuelleborn, quamquam de uoce inserta nihil exposuit, tamen eandem quam proposui uidetur addidisse. Scribit enim p. 17 priorem huius enuntiati partem sic: οὐ γὰρ δὴ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων φησί. Vt haec lectio quippe a Feliciano repetita quodammodo quasi ipso codice confirmari uidetur, ita ad rationem argumentationis optime accommodata uidebitur. Sic enim procedit oratio: „nihil obstat, quominus eo quod partes dei εἰς ἄλληλα mouentur deus ipse circum axem uersari dicatur. Nonne enim uidetur tale unum, quemadmodum ait Zeno, reuera multa esse? nam ipse corporeum statuit deum, siue dei nomine uniuersam rerum naturam siue qualecunque significat." Hoc est: e forma conglobata sequitur, ut deus corporeus sit, inde autem uel secundum decretum Zenonis, qui ipse Eleaticae sectae se addixerit, ut partes habeat. Zenonem reuera tale quid docuisse colligi potest ex eis locis, quos iam Bergk, ut suam emendationem confirmaret, et post eum eodem consilio Mullach attulerunt. Exstant enim haec apud Themistium f. 18: Ζήνων ἐκ τοῦ συνεχές τε εἶναι καὶ ἀδιαίρετον, ἓν εἶναι τὸ ὂν κατεσκεύαζε, λέγων ὡς, εἰ διαιρεῖται, οὐδὲ ἔσται ἀκριβῶς ἓν διὰ τὴ ἐπ' ἄπειρον τομὴν τῶν σωμάτων. Fere eisdem uerbis hoc Themistii de Zenone testimonium commemorat Simplicius in Phys. p. 30, sed per hanc occasionem Themistium uituperat, quod

*) Qua ratione hunc locum posse explicari Zeller affirmabat, eam solam esse, qua recte explicetur, pro explorato habens Vermehren id agit, ut inde scriptorem ignorantiae et temeritatis accuset (p. 38 et 41).

minus rectę intellexerit, quid Zeno uoluisset. Zeller (p. 368) Themistii testimonium a Bergkio et Mullachio non debuisse afferri existimat; nam quod Zeno docuisse a Themistio dicatur, alienum esse a ratione nostri loci. Recte uir doctus ita iudicaret, siquidem uerbis *τὸ τοιοῦτον ἕν* scriptorem exprimi uoluisse constaret „tale unum quod circum axem se conuertat et torqueat;" at nescio an haec sit uis uerborum: „tale unum quod conglobata figura et corporeum sit." Si in hanc sententiam uerba accipiuntur, scriptor suo iure Zenonem testem contra Xenophanem producit. Sed noua difficultas inde exoritur, quod et Simplicius Themistio aduersatur et Aristoteles auctor grauissimus de Zenonis quodam decreto mentionem facere uidetur (Met. II, 4. 1001, b, 7 seqq.), quod decreto a Themistio memorato prorsus contrarium sit. cf. Ueberweg l. l. p. 111. Simplicio quidem maiorem fidem hac in re quam Themistio habendam esse, nequaquam pro explorato habere licet, cum praesertim superiore loco (in Phys. 21, b) Simplicio idem accidisse uideatur, quod l. s. l. in Themistio reprehenderat. cf. Zeller p. 426. Accedit quod Zeller, quamquam Simplicium ibi Themistio recte aduersatum esse existimat, tamen l a t e r e concedit in illo Zenonis decreto eam sententiam, quam Themistius ab illo prolatam esse affirmauerit. cf. Zeller l. l: „Aus dem zusammenhang, in dem diese behauptung Zeno's nach Simplicius stand, ergiebt sich, dass die ausstellung des Simpl. gegen Themist. ganz richtig ist: Zeno redet hier zunaechst nicht von dem einen seienden, sondern von der voraussetzung der vielheit ausgehend sagt er, wie jedes von den vielen dingen gedacht werden muesste. Sofern er aber hiebei zeigt, dass jedes ding, um eines zu sein, auch untheilbar sein muesste, w u e r d e s e i n e b e h a u p t u n g a u c h a u f d a s e i n e s e i e n d e a n w e n d u n g f i n d e n, auch dieses muss, um eins zu sein, untheilbar *ἓν συνεχές* sein." His uerbis suppletur quod apud eundem Zellerum p. 376 n. 1 extr. nostro iure desideramus. Adde, quod Alexander eandem de illo Zenonis placito amplexus est sententiam quam Themistius. cf. Simpl. in Phys. p. 30, a: *τὸν δὲ δεύτερον λόγον τὸν ἐκ τῆς διχοτομίας τοῦ Ζήνωνος εἶναί φησιν ὁ Ἀλέξανδρος λέγοντος, ὡς ε ἰ μ έ γ ε θ ο ς ἔ χ ο ι τ ὸ ὂ ν κ α ὶ δ ι α ι ρ ο ῖ τ ο, π ο λ λ ὰ τ ὸ ὂ ν κ α ὶ ο ὐ κ έ τ ι ἓ ν ἔ σ ε σ θ α ι καὶ διὰ τούτου δεικνύντος, ὅτι μηδὲν τῶν ὄντων ἐστὶ τὸ ἕν.* Horum uerborum eis, quorum literas latius disposui, genuinam Zenonis sententiam exprimi sine ulla dubitatione statuit Laas in libello: Aristotelische textesstudien p. 11. cf. Zeller p. 427 n. 3. Locum Aristotelicum, quo Zenoni sententiam prorsus contrariam ascriptam esse Ueberwegio p. 111 persuasum est, nequaquam pugnare cum testimoniis modo memoratis Zeller p. 376 n. 1 euicit. cf. Bonitz ad hunc Aristotelis locum. Itaque non est opus disputatione, qua Ueberweg quamuis ingeniose testimonia conabatur inter se conciliare et coniungere, quandoquidem alterum non pugnat cum altero. Ex eis quae exposuimus hoc certe apparebit non esse cur dubitetur, quin aut Zeno reuera tale quid docuerit aut, si scriptor noster errauerit, huius erroris socios habuerit uiros propter eruditionem et mentis acumen haud contemnendos. Quid autem, si quis ipsum quoque libelli scriptorem testem adhibere uoluerit ad hoc decretum Zenoni uindicandum? Verum enim uero quocunque modo hic locus et constituendus et explicandus uidebitur, id ex eo non apparebit, quod Ueberweg inde iure coegisse sibi uidebatur, a

scriptore ipso his uerbis Zenonem significari eum philosophum, ad quem capp. III et IV pertineant· Ex contrario, si quid uideo, haud scio an satis recte inde concludatur de Zenone non posse agi in hac libelli parte, atque cum neque ad Parmenidem neque ad Melissum eam referre liceat, de Eleatico autem philosopho procul dubio hic agatur, id unum relinqui ut pertineat ad Xenophanem.

Pro uerbis mendosis ἐπιμόνως, ὅταν, quae multo emendatiora exstant in cod. Lips. ubi leguntur ἐπεὶ μόνως τ' ἄν Bergk huius lectionis nihil mutans praeter unam literam recte scripsit ἐπεὶ μόνως γ' ἄν. — Quod idem u. 8 correxit uoce αὐτόν posita pro αὐτό, non haesitans comprobarem, nisi eadem ratione u. 6 eandem uocem mutandam esse uiderem. Itaque cum alter locus quasi tueatur alterum, utrumque malim immutatum utrubique αὐτό ad σῶμα referendum esse ratus.

Cum concludendi ratio Bergkio parum recte procedere uideatur — cur uideatur uitiosa esse, non exponit — uerba extrema ita transponenda esse censet: ἀσώματος γὰρ ὤν, πῶς ἂν σφαιροειδὴς εἴη; ἐπεὶ δὲ σῶμά ἐστι, τί ἂν αὐτὸν κωλ'οι κινεῖσθαι ὡς ἐλέχθη· ἐπεὶ μόνως γ' ἂν οὕτως οὔτ' ἂν κινοῖτο οὔτ' ἂν ἠρεμοῖ, μηδαμοῦ γε ὤν. Non assentior. Facile enim omnes qui legunt supplebunt post σφαιροειδὴς εἴη hoc: „incorporeum autem eum esse sumere debebat.“ Nimirum hanc cogitationem a Bergkio desideratam esse crediderim. Mullach quidem alia de caussa haec uerba ab eo infestata esse censet.

Itaque sic uelim scribere locum corruptelarum sordibus purgatum: ἔτι εἰ καὶ διὰ τοῦτο μὴ κινεῖται ὁ θεός τε καὶ τὸ ἕν, ὅτι τὰ πολλὰ κινεῖται τῷ εἰς ἄλληλα ἰέναι, τί κωλύει καὶ τὸν θεὸν κινεῖσθαι εἰς ἄλλο; οὐδαμῶς γὰρ λέγει, ὅτι ἓν μόνον, ἀλλ' ὅτι εἷς μόνος θεός. εἰ δὲ καὶ αὐτός, τί κωλύει εἰς ἄλληλα κινουμένων τῶν μερῶν τοῦ περιέχοντος θεοῦ κύκλῳ φέρεσθαι τὸν θεόν; οὐ γὰρ δοκεῖ τὸ τοιοῦτον ἕν, ὥσπερ ὁ Ζήνων φησί, πολλὰ εἶναι φύσει; αὐτὸς γὰρ σῶμα λέγει εἶναι τὸν θεόν, εἴτε τόδε τὸ πᾶν, εἴτε ὅ τι δήποτε αὐτὸ λέγων. ἀσώματος γὰρ ὢν πῶς ἂν σφαιροειδὴς εἴη, ἐπεὶ μόνως γ' ἂν οὕτως οὔτ' ἂν κινοῖτο οὔτ' ἂν ἠρεμοῖ μηδαμοῦ γε ὤν; ἐπεὶ δὲ σῶμά ἐστι, τί ἂν αὐτὸ κωλύοι κινεῖσθαι ὡς ἐλέχθη; Haec latine reddita: „praeterea quamquam deus et id quod unum est propterea non mouetur, quod ea quae multa sunt mouentur eo quod in se mutuo transeunt, quid obstat quominus etiam deus moueatur (scilicet) ad aliud (quod non sit deus)? nequaquam enim dicit nihil esse nisi illud unum, sed esse praeter unum deum neminem alium. Licet autem ipse (impediatur), quid impedit, quominus, alia parte dei omnia complectentis mota ad aliam, deus circum axem uersetur? nonne enim tale unum, ut ait Zeno, reuera multiplex est? Ipse enim deum corpus esse dicit, siue hoc nomine uniuersam rerum naturam, siue qualecunque significat. Si enim incorporeus esset, non posset esse conglobata figura, cum hac sola ratione (scil. si incorporeus esset) nec moueretur nec quiesceret, quippe qui nusquam esset; quoniam autem corpus est, quid obstat, quominus moueatur, ut supra dictum est?“

CAPVT II

Quaeritur cuius philosophi decreta in altera libelli parte et enarrentur et percenseantur.

Magna inter uiros doctos est dissensio de nomine philosophi, de quo capp. III et IV agatur. Primus quod sciam Fabricius secutus auctoritatem cod. Lips.,*) in quo *Ἀριστοτέλους περὶ Ξενοφάνους* inscribitur,**) ad Xenophanem hanc partem libelli referebat. Vid. Fabric. ad Sext. Emp. Pyrrh. I 225 p. 59 not. N. — „omnino me probare, quod in praeclaro Cod. MS. Lipsiensi Aristotelis de Zenone, Xenophane et Gorgia pars prima, quae in uolgatis libris de Xenophane legitur, ibi refertur ad Zenonem, et altera, quae de Zenone, ad Xenophanem. Error in editis, qui me quoque pridem in transuersum egit, natus est inde, quod in prima parte Xenophanes, in altera Zeno nomine tenus citatur. Sed hoc ipsum adeo id non confirmat, ut potius argumentum in contrariam partem suppeditet; illos enim eo in libro nominat Aristoteles, quos cum sententia eorum, de quibus ex instituto disputat, confert.“ Fabricium secuti sunt Tiedemann, Fuelleborn, Buhle, Spalding, Brandis, Tennemann, Ritter, Krug, Cousin, Karsten, Bergk, Steinhart, Rose, Mullach, Vermehren. De Zenone ibi agi uolebant Brucker, Meiners,***) Fries, Marbach, Schleiermacher, Hegel, Zeller, Reinhold, Ueberweg. — Tiedemann: biblioth. philol. (Lips. 1791) vol. III p. 152 seq. Fuelleborn l. l. p. 17. Buhle comm. de ortu et progr. panth. in commentt. soc. reg. scientt. gotting. X p. 162. Tennemann gesch. der philos. I, 153 not. 7. Krug encycl. philos. lex. s. u. Xenophanes. Rose de Aristotelis librorum ordine et auctoritate commentatio p. 72. Brucker hist. crit. phil. I, p. 1170 not. Q. Meiners praef. tomi II hist. lit. graec. etc. p. 28 seq. Reinhold quaestio de genuina Xenophanis disciplina p. 7. Ueberweg Philologus VIII p. 107. — De ceteris cf. Ueberweg l. l. p. 104 not. 2 et 3.

---

*) Quae Baylium commouerint, ut cap. III Xenophanis philosophiam exponi crederet, ignoro.

**) Consentiunt cum cod. Lips. codd. Palatinus Vaticanus 162, Marcianus 200, Marcianus 216, Vrbinas 38, Vrbinas 108, Parisiensis 2277; in reliquis exstat *περὶ Ζήνωνος*.

***) Digna quae legantur sunt uerba Fuellebornii, quibus in refutando Meinersio utitur p. 16 seq: „obicitur mox alia dubitatio a uiro doctissimo, ex ingenio illorum philosophorum petita: quod ea, quae in cap. III tradantur, indigna prorsus uideantur Xenophane, digna uero Zenone, inuentore dialectices, eoque uiro, qui totus in eo fuerit, ut auditorum animos argutiis suis perturbaret. At tales ego argutias et tricas reperire in hoc capite adeo non possum, ut potius cogitatam illam et uere philosophicam, ut tum tempora erant, disputationem admirer, in qua nonnullae etiam rationes argumentandi occurrant, quibus et hodie utuntur in scholis, cum, ut hoc utar, Deum unum esse, ex ipsa, quam de Deo conceptam habent, notione euincere instituunt. Talia enim si debent ad argutias reici, quid, quaeso, erit in illa Graecorum antiquissima philosophia, quod non sit hoc nomine reiciendum?“

Vtram sententiam amplexus sit Roschmann,*) qui anno 1729 emisit „dissertationem historico-philosophicam de Xenophane," non facile est ad diiudicandum, cum modo caput primum modo tertium adhibuerit, ut inde demonstraret, qualia essent Xenophanis decreta, cf. p. 37 not. n et o. Vnde colligere liceret eum idem statuisse, quod postea Fuelleborn (l. l. 18 seq.) argumentis comprobare studebat et primam et alteram partem libelli pertinere ad Xenophanem, nisi Roschmann p. 44 not. b haec haberet: — „parum tribuendum est fidei Aristotelis in libro aduersus Xenophanem, idque eo minus, quo magis corruptus est iste libellus, ... imo incertum est, an prima, an secunda pars eiusdem de Xenophane agat, quamuis idem Exc. Fabricius in not. N. ad Sexti Pyrrhon. hypot. lib. I Segm. 225 partem secundam Xenophani oppositam esse doceat." At siquidem pro re incerta habebat, e neutra parte haurire debebat.

Iam uero percensebo argumenta, quibus nisi uiri docti alteram libelli partem inscribi recte *περὶ Ζήνωνος*, perperam *περὶ Ξενοφάνους* contendebant, atque in eis percensendis Zelleri potissimum disputationem (pp. 366—378) sequar, utpote in qua quasi in armamentario quodam omnis belli apparatus collocatus sit.

Primum quidem scriptor ipse tribus libelli locis capita III et IV ad Zenonem referre Zellero uidetur p. 367 not. 4. Quod si reuera ita se haberet, omnia essent expedita. Atqui tantum abest, ut inde firmum argumentum petere liceat, quo Zelleri sententia comprobetur, ut unus certe locus argumentum in contrariam partem suppeditare uideatur. cf. quae annotauimus ad p. 978, b, 37 seqq. — Praeter eum locum duo qui in tertia parte occurrunt a uiro doctissimo memorantur. De Gorgia enim p. 979, a 21 traduntur haec: *ὅτι οὐκ ἔστιν οὔτε ἓν οὔτε πολλά, οὔτε ἀγένητα οὔτε γενόμενα, τὰ μὲν ὡς Μέλισσος τὰ δ' ὡς Ζήνων ἐπιχειρεῖ δεικνύειν μετὰ τὴν πρώτην ἴδιον αὐτοῦ ἀπόδειξιν κ. τ. λ.* Ad quem locum Zeller haec annotauit: „Diese verweisung wird man neben c. 1 anf. und ebd. 974, a, 11, wo Melissus die einheit und anfangslosigkeit des seienden beweist, am natuerlichsten auf c. 3 beziehen, wo das gleiche von der gottheit gezeigt wird; dass das seiende auch nicht eins und nicht ungeworden sein koenne, steht allerdings weder hier noch dort, aber daraus folgt nicht, dass die verweisung auf eine andere uns unbekannte Stelle gehe, wo dies gestanden haette, denn nach allem, was uns ueber die lehre des Melissus und Zeno bekannt ist, kann

*) Fallitur Karsten, qui dissertationes a Feuerlino et Roschmanno eodem titulo inscriptas dicit; qui error inde natus est, quod in titulo commentationis Roschmanni Feuerlin memoratur, quo „praeside publico disquirentium examini" ea subiciebatur. Quod autem uir doctus, qui hanc dissertationem nancisci non poterat, suspicabatur „pleraque, deinde ab aliis retractata, iam diligentius exposita esse," ego libello perlecto possum confirmare. Eruditionis atque doctrinae multum, iudicii parum ostendit illius commentationis scriptor. Perridicule Ludouicus Berg (p. 8), quem e Karstenio hausisse manifestum est, duos memorat scriptores eorumque unum libellum, ab eis coniunctis uidelicet conscriptum. Verba enim Bergii sunt haec: „praeter quae etiam Feuerlinus et Rossmannus (sic) nulla alia habuerunt subsidia historica in scribenda dissertatione de historia philosophiae Xenophanis cet. Altdorf 1729. 4. quam solum curiositatis causa uocare uolo, praesertim cum hodierno die uix in una bibliotheca inueniatur."

keiner von beiden eine solche behauptung aufgestellt haben. Die vergleichung des Gorg. mit Zeno und Melissus muss sich daher auf den zweiten theil der gorgianischen behauptung (ὅτι οὐκ ἔστιν οὔτε πολλὰ οὔτε γενόμενα) beschraenken, fuer das uebrige (ὅτι οὐκ ἔστιν οὔτε ἓν οὔτε ἀγέννητα) koennte zenonisches hoechstens in freierer weise nachgebildet sein, etwa indem die Beweisführung unseres c. 3. 977, b, 3. 16 auf die frage ueber die einheit und ursprungslosigkeit des seienden angewandt wurde.“ Complura me offendunt in hac argumentatione. Primum enim rei non consentaneum sed dissentaneum est illud nulla necessitate urgente referri ad cap. III, quandoquidem ibi de deo agitur, non de eo quod est. Deinde cum sententia, qua non esse quicquam, nec unum nec multa, nec aeterna nec orta a Gorgia statuitur, in neutra libelli partium quae praecedunt reperiri a Zellero ipso dicatur, quin immo ne accommodata quidem haberi possit ad philosophiam alterutrius,*) aliter ea uerba interpretanda esse contendo. Non enim τὰ μέν — τὰ δέ — habenda sunt pro accusatiuis a uerbo δεικνύειν aptis ita ut his pronominibus sententiae ipsae excipiantur; sed usurpata sunt, ut persaepe, aduerbialiter, quod uocant. Itaque interpretabimur: „hic se applicabat ad argumentandi genus, quo Melissus utebatur, illic Zenonis aliquod decretum in suum usum conuertebat, postquam antea de suo rem confecit.“ Id recte explicatum esse comprobatur uerbis his, quae in cap. VI exstant: p. 979, b, 20 seqq. μετὰ δὲ τοῦτον τὸν λόγον φησίν· εἰ δὲ ἔστιν, ἤτοι ἀγένητον ἢ γενόμενον εἶναι. Καὶ εἰ μὲν ἀγένητον, ἄπειρον αὐτὸ τοῖς τοῦ Μελίσσου ἀξιώμασι λαμβάνει· τὸ δὲ ἄπειρον οὐκ ἂν εἶναί ποτε .... Μηδαμοῦ δὲ ὄν, οὐδὲ εἶναι κατὰ τὸν τοῦ Ζήνωνος λόγον περὶ τῆς χώρας· ἀγένητον μὲν οὖν διὰ ταῦτ᾽ οὐκ εἶναι· οὐ μὴν οὐδὲ γενόμενον. Zelleri autem opinionem, qua posteriorem sententiae partem statuit esse hance: ὅτι οὐκ ἔστιν οὔτε πολλὰ οὔτε γενόμενα, ideo omnino reiciendam esse puto, quod hac dirimendi ratione sententiam non in partes diuisam, sed in frusta dilaceratam uideo. — Tertius locus, quem sibi fauere Zeller arbitratur, is ipse est, quem modo ad nostram de illo alio loco sententiam stabiliendam laudauimus. Ibi enim memoratur Ζήνωνος λόγος περὶ τῆς χώρας, quem λόγον metuo ne Zeller argutius quam uerius in altera libelli parte exstare demonstret uerbis hisce: „dass aber das nichtseiende an keinem ort sei, hatte c. 3. 977, b, 13 gesagt, und wuerde daraus auch an sich noch nicht folgen, dass auch umgekehrt das, was an keinem ort ist, nicht sei, so folgt es doch, wenn wir den grundsatz (ebd. z. 5. 17) darauf anwenden: οἷον τὸ μὴ ὂν οὐκ ἂν εἶναι τὸ ὄν ... τὸ ἓν οὔτε τῷ μὴ ὄντι οὔτε τοῖς πολλοῖς ὅμοιον εἶναι.“ Non infitiabor hoc recte conclusum esse:

id quod non est nusquam est:
atqui idem non potest tribui ei quod est atque ei quod non est:

---

*) Quamquam si Eudemo et Senecae fides habenda esset, a Zenone quidem non aliena esset talis sententia. — Eudem. apud Simpl. in phys. 21, b: ἐνταῦθα δέ, ὥς ὁ Εὔδημός φησι, καὶ ἀνῄρει τὸ ἕν. Sen. epp. XIII, 3, 45: Si Parmenidi (credo) nihil praeter unum (est). si Zenoni, ne unum quidem.

ergo id quod est non est nusquam:
ergo quod nusquam est, non est.

Verumtamen uehementer dubito ei assentiri, qui quod e decreto philosophi recte concluditur ei ipsi necessario ascribendum esse putauerit: non dubito cum eo dissentire, qui illud decretum, quod fortasse latet in altero, ipsius philosophi *λόγον* uocauerit. Equidem in cap. III nullum *λόγον περὶ τῆς χώρας* agnoscere possum, ad quem scriptor in refutandis Gorgiae placitis nos delegasse uideri possit. Non aliter iudicat Ueberweg p. 107: „somit sind wir nicht berechtigt in der erwaehnung des Zeno c. 5 und 6 eine zurueckweisung auf c. 3 finden zu wollen." Quem locum (p. 979, b, 36 seqq.) Zeller cum eo, quem modo memoraui, conferri iubet, quin is omnino non ita comparatus sit, ut inde aliquid concludi uel confirmari possit, nulli dubium erit, qui quam lacunosa ea uerba in codicibus exstent meminerit. Apud Bekkerum enim leguntur sic: *καὶ ἓν μὲν . . . καὶ ὅτι ἀσώματον ἂν εἴη τὸ ἓν η ἐνσχονμέν γε τῷ τοῦ Ζήνωνος λόγου.* in exemplari Lipsiensi: *καὶ ἐν μὲν . . . . καὶ ὅτι ἀσώματον ἂν εἴητο . . . . ἐν κ . . . . ἔσχον* (uel *ε ἔχον*) *μέν γε . . . . τῷ τοῦ Ζήνωνος λόγῳ.*

Zeller postquam et propter lectionum discrepantias et propter incertas interpretandi rationes de sententiis horum locorum fortasse posse dubitari concessit, ad aliud argumentum transit his uerbis: „und liesse sich vielleicht auch, theils wegen der unsicherheit der erklaerung theils wegen der unsicherheit des textes, in den einzelnen stellen noch zweifeln, ob dies wirklich seine meinung ist, so muessen wir diess doch schon deshalb annehmen, weil sich nicht begreifen laesst, wie irgend jemand dazu gekommen sein sollte, in einer darstellung eleatischer lehren Xenophanes die stelle zwischen Melissus und Gorgias anzuweisen; dass aber unser zweiter abschnitt nicht etwa nur durch zufall und gegen den willen des verfassers dem ersten nachgesetzt worden ist, steht ausser zweifel cf. 977, b, 21." Recte Zeller inde argumentum idque non tenue repeteret, si scriptor in eo uersaretur, ut narrare sibi proponeret, quemadmodum philosophia Eleatica ab eius auctore usque ad ultimum assectatorem progressa esset. cf. Vermehren p. 41: „als hauptgrund dafuer (dass der verf. die absicht gehabt ueber Zeno zu schreiben) fuehrt man an, dass es sich nicht begreifen lasse, wie irgend jemand dazu gekommen sein sollte, in einer darstellung eleatischer lehren Xenophanes die stelle zwischen Melissus und Gorgias anzuweisen: das mag unsern historischen sinn befremden, ist aber bei dem rein philosophischen interesse des verfassers fuer die blosse widerlegung der betreffenden saetze nicht eben auffallend; man bemerke wohl, die darstellung eleatischer lehren stand erst in zweiter, die widerlegung in erster linie." Quis indagare et peruestigare hodie posse sibi uidetur, quo casu scriptor in Melissum prius inciderit, quam de Xenophane refellendo cogitaret? Huc adde, quod ne de Zenone quidem fortasse satis apte agitur post Melissum, et enarratio placitorum Gorgiae plane abhorret a consilio adumbrationis philosophiae Eleaticae. Iam G. I. Vossius nostrum libellum hypomnematicis libris adnumerandum esse haud scio an suo iure censuerit: „imitemur Peripateticos, quibus ea consuetudo

erat, ut, priusquam ad scientiam aliquam perfecte addiscendam animum adpellerent, commentarios facerent, in quos sententias ueterum referrent, rationes simul adderent, et quandoque etiam refellerent. Eos libros hypomnematicos dixere, ut Ammonius seu alius in categorias Aristotelis adnotauit. Huius generis uidetur fuisse liber de Zenone, Xenophane et Gorgia, qui Aristoteli inscribitur.“ G. I. Vossius de philos. et phil. sectis c. III p. 10. cf. Fuelleborn p. 11, qui Vossium de Simplicio in categg. fol. I n. b cogitasse minus recte suspicatur; nam, ut Fuelleborn ipse monuit, ibi non idem exstat, quod Vossius apud commentatorem se legisse dicit, quamquam ei simile esse non negabimus.*) Vossius potius de loco Ammonii Hermiae cogitasse uidetur, quem laudatum uideo a Karstenio p. 97: Amm. Herm. *περὶ ἑρμην.* (ed. Ald. 1503) lit. AA. fol. 2. *ὑπομνηματικὰ δὲ ἐκεῖνα (συγγράμματα) καλοῦσιν, ὅσα πρὸς οἰκείαν ἀπεσημειοῦντο ὑπόμνησιν· εἰώθεσαν δὲ οἱ παλαιοὶ τὰ τῶν ἀρχαιοτέρων ἀναγινώσκοντες συγγράμματα ἀποσημειοῦσθαι αὐτῶν τὰς περὶ ἑκάστου πράγματος δόξας καὶ τὰ ἐπιχειρήματα τὰ τούτων κατασκευαστικά· — ὡς ὕλην τῶν οἰκείων συγγραμμάτων.* cf. Ueberweg grundriss I, 97: „auch die auf uns gekommene schrift de Melisso, de Xenophane (oder de Zenone) und de Gorgia traegt den charakter eines *ὑπόμνημα*.“ Si libellum huius generis esse statuerimus, non magis capitum collocatione offendemur, quam nominum apud Alexandrum Aphrodisiensem in Arist. metaph. p. 984, a, 29 (Brandis scholl. in Arist. p. 535, b, 24): *λέγει μὲν περὶ Ξενοφάνους καὶ Μελίσσου καὶ Παρμενίδου.*

Pergit Zeller: „Dazu kommt, dass die saetze, welche dem ungenannten Eleaten c. 3 beigelegt werden den beglaubigtsten angaben ueber Xenophanes widersprechen. Man glaubt zwar eine buergschaft fuer die urkundlichkeit unserer darstellung bei Theophrast zu finden, aus dem, wie man annimmt, die mit ihr zusammentreffenden aussagen des Simplicius und Bessarion ueber Xenophanes entlehnt sind. Allein diese annahme ist hoechst unwahrscheinlich. Von Bessarion ist es ganz unverkennbar, dass er nicht aus einer fuer uns verlorenen theophrastischen schrift, sondern einzig und allein aus der stelle in Simplicius physik geschoepft hat, worin dieser ausleger, unter berufung auf Theophrast, die lehre des Xenophanes, mit dem dritten kapitel unserer schrift uebereinstimmend, darstellt.“ Cum non cuilibet Simplicius in Aristot. Phys. et Bessario aduersus calumniatorem Platonis ad manum sint, facere non possum, quin uerba utriusque scriptoris hic describam, ut quid quisque de Xenophane dixerit facile a quouis perspici possit.

Simplicius in Arist. Phys. fol. 5, b; 6, a:	Bessario adu. calumn. Plat. II, 11 extr:
Μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν ἤτοι ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν καὶ οὔτε πεπερασμένον οὔτε ἄπειρον, οὔτε	Ceterum quia caussam hanc apud indices agimus, ne

*) Verba Simplicii sunt haec: *τῶν δὲ καθόλου — τὰ μέν ἐστιν ὑπομνηματικά, ὅσα πρὸς ὑπόμνησιν οἰκείαν καὶ πλείονα βάσανον συνέταξεν ὁ φιλόσοφος· ὧν τὰ μὲν μονοειδῆ ἐστιν, ὡς περὶ ἑνός τινος* („intell. *δόγματος*“ Fuelleb.) *ὑπομνήσκοντα· τὰ δὲ ποικίλα ὡς περὶ πλειόνων· δοκεῖ δὲ τὰ ὑπομνηματικὰ μὴ πάντη σπουδῆς ἄξια εἶναι· διὸ οὐδὲ πιστοῦνται ἀπ' αὐτῶν τὰ τοῦ φιλοσόφου δόγματα κ. τ. λ.*

κινούμενον οὔτε ἠρεμοῦν Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον ὑποτίθεσθαί φησιν ὁ Θεόφραστος, ὁμολογῶν ἑτέρας εἶναι μᾶλλον ἢ τῆς περὶ φύσεως ἱστορίας τὴν μνήμην τῆς τούτου δόξης. Τὸ γὰρ ἓν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν θεὸν ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης, ὃν ἕνα μὲν δείκνυσιν ἐκ τοῦ πάντων κράτιστον εἶναι· πλειόνων γάρ φησιν ὄντων, ὁμοίως ἀνάγκη ὑπάρχειν πᾶσι τὸ κρατεῖν· τὸ δὲ πάντων κράτιστον καὶ ἄριστον θεός. Ἀγένητον δὲ ἐδείκνυεν ἐκ τοῦ δεῖν τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὁμοίου ἢ ἐξ ἀνομοίου γίγνεσθαι· ἀλλὰ τὸ μὲν ὅμοιον ἀπαθές φησιν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον γεννᾶν ἢ γεννᾶσθαι προσήκει τὸ ὅμοιον ἐκ τοῦ ὁμοίου· εἰ δ' ἐξ ἀνομοίου γίνοιτο, ἔσται τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Καὶ οὕτως ἀγένητον καὶ ἀΐδιον ἐδείκνυ. Καὶ οὔτε δὲ ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον εἶναι· διότι ἄπειρον μὲν τὸ μὴ ὂν ὡς οὔτε ἀρχὴν ἔχον οὔτε μέσον οὔτε τέλος, περαίνειν δὲ πρὸς ἄλληλα τὰ πλείω. Παραπλησίως δὲ καὶ τὴν κίνησιν ἀφαιρεῖ καὶ τὴν ἠρεμίαν· ἀκίνητον μὲν γὰρ εἶναι τὸ μὴ ὄν· οὔτε γὰρ ἂν εἰς αὐτὸ ἕτερον, οὔτε αὐτὸ πρὸς ἄλλο ἐλθεῖν. κινεῖσθαι δὲ τὰ πλείω τοῦ ἑνός· ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον μεταβάλλειν·

egisse protinus sine testibus uideamur, citetur Theophrastus, alter Aristoteles. Hic Xenophanem, quem Parmenides audiuit atque secutus est, nequaquam inter physicos numerandum sed alio loco constituendum censet. Nomine, inquit, unius et uniuersi deum Xenophanes appellauit, quod unum ingenitum immobile aeternum dixit; ad haec aliquo*) quidem modo neque infinitum neque finitum, alio uero modo etiam finitum; tum etiam conglobatum diuersa scilicet notitiae ratione. Mentem etiam uniuersúm**) hoc idem esse affirmauit. Nec uero Theophrastus solus haec dicit; sed Nicolaus quoque Damascenus et Alexander Aphrodisiensis eadem de Xenophane referunt, opusque Melissi de ente et

*) Sic legitur apud Brandisium (p. 17 not. 5) et Krischium (Forschungen auf dem gebiete der alten philos. I p. 93 not. 1). Pro „aliquo" autem perperam exstat „aliquando" in ea editione, qua ut possem uti Reinholdi Koehler comitate singulari mihi contigit. Qui liber in bibliotheca Vimariensi seruatus quo anno prodierit, nescio, Romae autem eum literarum formis descriptum esse, apparet ex hac subscriptione:

Aspicis illustris lector quicunque libellos,
Si cupis artificum nomina nosse, lege.
Aspera ridebis cognomina teutona; forsan
Mitiget ars musis inscia uerba uirum.
Conradus Suueynheym Arnoldus Pannartzque magistri
Romae impresserunt talia multa simul.
Petrus cum fratre Francisco Maximus ambo
Huic operi aptatam contribuere domum.

Inest in eodem uolumine Bessarionis liber de natura et arte aduersus Georgium Trapezuntium.

**) Editio Romana praebet „uniuersam."

ὥστε καὶ ὅταν ἐν ταὐτῷ μένειν λέγῃ καὶ μὴ κινεῖσθαι „αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδὲν, οὔτε μετέρχεσθαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ" οὐ κατὰ τὴν ἠρεμίαν τὴν ἀντικειμένην τῇ κινήσει μένειν αὐτόν φησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀπὸ κινήσεως καὶ ἠρεμίας ἐξῃρημένην. Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ὡς ἄπειρον καὶ ἀκίνητον λέγοντος αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἐν τῇ περὶ θεῶν ἀπομνημονεύει, Ἀλέξανδρος δὲ ὡς πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές. Ἀλλ' ὅτι μὲν οὔτε ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον αὐτὸ δείκνυσιν, ἐκ τῶν προειρημένων δῆλον. Πεπερασμένον δὲ καὶ σφαιροειδὲς αὐτὸ διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον λέγει. Καὶ πάντα δὲ νοεῖν φησιν αὐτὸν λέγων· „ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει."

natura inscriptum dicunt, Parmenidis de ueritate et opinatione.

Cum Bessarionem uirum haud mediocri eruditione et doctrina fuisse constet, animi pendeo, num a uiris doctis tantae temeritatis iure accusetur, quantam ei crimini dari oportebit, si ea quae supra posui e Simplicii loco iuxta scripti eum hausisse existimauerimus; id quod statuendum esse Krischio*) persuasum est. — Forschungen auf dem gebiete der alten philosophie I p. 92: „Bessarion hat dort nichts zur hand gehabt, was uns nicht erhalten waere; in der absicht, Parmenides und Melissus lehre zu eroertern, geht er ausdruecklich von Aristoteles physik (I, 2) aus, nimmt dabei stillschweigend Simplicius commentar zu huelfe, um die hier aufbewahrten eigenen worte beider Eleaten, freilich ungenau genug, anzuwenden; benutzt dann denselben commentar fuer Xenophanes annahmen, schiebt jedoch Theophrast's auctoritaet vor, weil durch sie Simplicius angaben verbuergt waren, wirft aber die worte des griechischen auslegers so ungruendlich durcheinander, dass er die von Nikolaus D. und Alexander dem Xenophanes geliehenen begriffe des *ἀκίνητον* und *πεπερασμένον* dem Theophrast selbst in den mund legt." cf. Ueberweg l. l. p. 106: „Dass endlich Bessarion uns nur einen auszug aus Simpl. liefere (dazu noch mit der ungenauigkeit, dass er dem einen des Xenoph. nur schlechthin die unbewegtheit beilegt), wird nach dem gesagten nicht mehr zweifelhaft sein." Bessario autem non hoc unum peccat, quod a Theophrasto deum Xenophaneum dictum esse immobilem et finitum**) scribit, sed etiam

---

*) Krischii nomen supra a me omissum est, ubi eos nominaui, qui capp. III et IV ad Xenophanem referunt.

**) Idem alio loco etiam Simplicius deo Xenophaneo tribuit f. 7, a: *ἐκείνων (Παρμενίδου καὶ Ξενοφάνους) γὰρ ἓν καὶ ἀκίνητον καὶ ἀγένητον καὶ πεπερασμένον ποιούντων τὸ πᾶν.* et mox: *ὁ μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης ἓν λέγοντες καὶ πεπερασμένον.*

Xenophanis illud de conglobata figura dei, quod apud Simplicium ab Alexandro memoratur, ipsius Theophrasti nomine tuetur. Quid, quod a Nicolao et Alexandro eadem de Xenophane relata esse, quae a Theophrasto diserte affirmat, Simplicius autem, quae illi a Theophrasti uerbis prorsus abhorrentia et inter se diuersa tradiderunt, partim Theophrasti auctoritate refellere, partim Xenophanis doctrinae accommodare studet. Ea uero omnia tam confusa et perturbata e Simplicii loco, non dicam male intellecto, sed quem oculis uix diductis socordissime percucurrisset, Bessarionem hausisse credamus, quamquam ad caussam, quam apud iudices agat, nomine et auctoritate Theophrasti adiutum se accedere non sine grauitate quadam ipse professus sit? Quodsi aliis exemplis mihi comprobatum erit eum tam neglegenter libros peruolitasse et aliorum sententias adeo non assecutum esse, ut ea quae monui ab eius consuetudine non uideantur abhorrere, idem in peruoluendo Simplicii commentario ei accidisse mihi persuadebo. Priusquam autem hoc didicero, nec affirmabo nec negabo eum illa Simplicii uerba sine ulla cura ac diligentia in suum usum conuertisse, cum praesertim Bessarionis uerba quae descripsi ultima (opusque — opinatione) ex hoc Simplicii loco non esse hausta constet. Quibus autem hac temeritate Bessarionem fuisse persuasum est, eis locum suppeditabo, quo aliquanto melius demonstrari possit eum furatum esse a Simplicio.

Simpl. in Phys. f. 7, a:

Καὶ γὰρ οἱ μὲν περὶ τῆς νοητῆς καὶ πρώτης ἀρχῆς διελέχθησαν ὡς Ξενοφάνης τε καὶ Παρμενίδης καὶ Μέλισσος, ὁ μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης ἓν λέγοντες καὶ πεπερασμένον. ἀνάγκη γὰρ τὸ ἓν τοῦ πλήθους προϋπάρχειν, καὶ τὸ πᾶσιν ὅρου καὶ πέρατος αἴτιον κατὰ τὸ πέρας μᾶλλον ἤπερ κατὰ τὴν ἀπειρίαν ἀφορίζεσθαι, καὶ τὸ πάντῃ τέλειον τὸ τέλος τὸ οἰκεῖον ἀπειληφὸς πεπερασμένον εἶναι· μᾶλλον δὲ τέλος τῶν πάντων ὡς καὶ ἀρχή. τὸ γὰρ ἀτελὲς ἐνδεὲς ὂν οὔπω πέρας ἀπείληφε. Πλὴν ὁ μὲν Ξενοφάνης ὡς πάντων αἴτιον καὶ πάντων ὑπερανέχον, καὶ κινήσεως αὐτὸ καὶ ἠρεμίας καὶ πάσης ἀντιστοιχίας ἐπέκεινα τίθησιν, ὥσπερ καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῇ πρώτῃ ὑποθέσει τοῦ

Bessario adu. calumn. Plat. II, 11:

Cum itaque uiri illi de rebus intelligibilibus ac diuinis et de primo principio uereque ente agerent, his uerbis utebantur: unum esse ens ipsum idque immobile et infinitum et reliqua, quae huic sententiae conueniunt. In qua re cum alios plerosque uetustiores secuti sunt, tum inprimis Xenophanem doctissimum uirum, qui praeceptor Parmenidis fuerat. Conuenit enim inter Xenophanem atque Parmenidem, ens ipsum unum atque finitum esse ea ratione, quod unum prius quam multa esse necesse sit, et quod ceteris omnibus causa est, ut determineutur et finiantur, id finitate magis quam infinitate describi debeat. Tum etiam quia, quod omni ex parte perfectum absolutumque est suumque praecipuum obtinet finem, id finitum et finem ac principium omnium esse oporteat: quod enim imperfectum et indigens est, id nondum finem recepisse dicendum

Παρμενίδου. Ὁ δὲ Παρμενίδης τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον αὐτοῦ, καὶ πάσης μεταβολῆς τάχα δὲ καὶ ἐνεργείας καὶ δυνάμεως ἐπέκεινα θεασάμενος, ἀκίνητον αὐτὸ ἀνυμνεῖ καὶ μόνον ὡς πάντων ἐξῃρημένον. κ. τ. λ.

est. Verum in eo inuicem dissident quod ad motus priuationem pertinet. Xenophanes enim in eo quod motu ita priuatur, ut numquam moueri possit, quietem etiam esse merito negat. Quod Plato etiam facere uidetur in prima Parmenidis positione. At Parmenides cum carmine scriberet, morem secutus est uolgatiorem, et quia quae manent nequaquam moueri perspicuum est, idcirco cum ens ipsum immobile uellet significare, manere dixit. etc.

Fortasse autem uterque etiam in hac philosophiae Eleaticae adumbratione Theophrasto auctore utebatur; nam mihi quidem non est pro explorato Bessarionem nulla Theoprasti uerba legisse, quae non etiamnunc exstarent. cf. Bessar. adu. cal. Pl. I c. 3 extr. et c. 2 extr.

At num Bessario hac in re totus pendeat e Simplicio male intellecto an ex aliis fontibus, qui temporum iniquitate obruti sunt, etiamtum haurire potuerit, non nimium interest; multo grauius hoc est, quod ne Simplicium quidem esse testem locupletem Zellero et Ueberwegio persuasum est, sed esse eum hac in re leuem nec satis fidum. Zeller p. 369 seq: Simplicius aber beruft sich auf Theophrast nicht fuer alles, was er ueber Xenophanes berichtet, sondern nur fuer eine einleitende bemerkung, durch die wir nichts erfahren, was uns nicht auch aus Aristoteles' metaphysik bekannt waere, das weitere traegt er in eigenem namen vor, ohne zu sagen wo er es her hat, dass es aber mit jener allgemeineren notiz nicht aus derselben quelle, der theophrastischen physik, geflossen sein kann, ist aus seinen eigenen worten zu beweisen; denn aus dem zusatz *ὁμολογῶν* u. s. w. geht deutlich hervor, dass das vorangehende citat Theophrast's physik entnommen ist, von der wir auch sonst wissen, dass sie des Xenophanes und Parmenides wie der meisten aelteren philosophen erwaehnte; in dieser schrift kann aber Theophrast nach seiner eigenen erklaerung nicht eingehender von Xenoph. gesprochen haben" cf. not. 5: „seine worte Phys. 5, b, unt. lauten: *μίαν δὲ — τούτου δόξης*. Hierin liegt offenbar nichts weiter, als was auch Arist. Metaph. I, 5. 986, b, 21 sagt, dass sich Xenophanes n i c h t d a r u e b e r a u s g e s p r o c h e n h a b e, ob er sich das eine urwesen begrenzt oder unbegrenzt denke, nur dass Theophrast beifuegt, auch darueber habe er sich nicht erklaert, ob es ruhe oder bewegt sei, wenigstens noethigt uns nichts, die worte so zu verstehen, als ob Xenophanes ausdruecklich gesagt haette, was die schrift de Melisso allerdings sagt, dass das eine weder begrenzt noch unbegrenzt, weder ruhend noch bewegt sei." Similiter Ueberweg l. l. p. 105 seq. Argumentum firmissimum uiri docti procul dubio petiuerunt a maximo discrimine, quod inter Aristotelem et Simplicium esse ipsis persuasum est. Aristotelis uerba sunt haec: *Παρμενίδης μὲν γὰρ ἔοικε τοῦ κατὰ τὸν λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι, Μέλισσος δὲ*

τοῦ κατὰ τὴν ὕλην· διὸ καὶ ὁ μὲν πεπερασμένον, ὁ δ' ἄπειρόν φησιν εἶναι αὐτό· Ξενοφάνης δὲ πρῶτος τούτων ἑνίσας (ὁ γὰρ Παρμενίδης τούτου λέγεται μαθητής) οὐθὲν διεσαφήνισεν, οὐδὲ τῆς φύσεως τούτων οὐδετέρας ἔοικε θιγεῖν, ἀλλ' εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεόν. Primum quidem nequaquam constat, uerba *οὐθὲν διεσαφήνισεν* non licere referre ad *Παρμενίδης — ὕλην*, deinde per se non est uerisimile illum, qui primus id quod unum est statuerit, nihil quicquam de finibus eius docuisse, cum hoc *ἓν* ab eo immobile dictum esse ex ipso philosophi fragmento constet; denique uerborum *οὐθὲν διεσαφήνισε* non est ea uis, quam Zeller et Ueberweg uolunt; neque enim ualent „er hat sich nicht darueber ausgesprochen" neque „er hat weder die eine noch die andere behauptung aufgestellt" *). Rectius Lescalopier in Cic. de nat. deor. I, 28, 44 sententiam Aristotelis intellexisse uidetur: „conuicium illud, quod in Xenophanem contorquet Aristoteles Metaph. I, 5, ubi obscurum illius uel ingenium uel dicendi genus notat." cf. Simpl. Phys. f. 2, a: *Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος καὶ ὁ τούτου μαθητὴς Παρμενίδης καὶ οἱ Πυθαγόρειοι τελειοτάτην μὲν περί τε τῶν φυσικῶν καὶ τῶν ὑπὲρ τὴν φύσιν, ἀλλ' αἰνιγματώδη τὴν ἑαυτῶν φιλοσοφίαν παραδεδώκασιν.* et f. 5, b: *καὶ οἱ μὲν ἀδιορίστως, οὐ διακρίνοντες τὰ φυσικὰ ἀπὸ τῶν ὑπὲρ φύσιν, οἱ δὲ διακρίνοντες μὲν ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀναξαγόρας, τῇ δὲ ἀσαφείᾳ λανθάνοντες τοὺς πολλούς. διὸ καὶ Ἀριστοτέλης ὡς πρὸς τὸ φαινόμενον ἀντιλέγει τοῖς ἐπιπολαίως ἐκλαμβάνουσι βοηθῶν.* Num quid offensionis habere potest, quod Aristoteles, quae erat eius mentis acies atque sana et sobria disputandi ratio, a philosopho, qui non solum *τὸ ἓν* nec motum nec immobile dixerit, sed etiam alio loco ei immobilitatem tribuerit, nihil clare et distincte de eo quod est prolatum esse indicat? cf. quae annotauimus ad p. 977, b, 18. Accedit, quod uerisimile est Xenophanis fuisse uersus, quibus *τὸ ἓν* etiam finitum uocauerit. (Vide duos illos Simplicii locos Phys. 7, a, quos supra laudaui). Nonne suo iure Aristoteli hanc philosophandi rationem obscuram, quin etiam confusam dicere licebat? cf. Karsten p. 125. At ut sit discrepantia inter Aristotelem et Simplicium, num consentaneum est his paucis Aristotelis uerbis tantum quantum illi uolunt auctoritatis tribui, quod ad Xenophanem attinet, cum in eis ipsis de Melisso testis non locuples sit. cf. Bonitz ad hunc locum: „Quod enim Parmenides finitam statuit principii naturam, Melissus infinitam, id Aristoteles, quamquam Melissus illud principium corpus esse distincte negat, ita ad sua placita accommodat, ut Parmenidem idealem, Melissum materialem posuisse unitatem dicat." Idem ad p. 986, a, 13 Aristotelis in indicandis aliorum philosophorum placitis leuitatem uituperat. cf. eiusdem indicis perquam idonei iudicia ad p. 984, a, 5 et 16. Primis uero Simplicii uerbis, quae ille auctoritate Theophrasti tuetur, nihil tradi Zellero persuasum est, quod non legatur etiam in Aristotelis metaphysicis. Hoc enim dixisse Theophrastum: Xenophanem unum principium sumpsisse sed non exposuisse, num finitum esset

*) Sic Ueberweg, quamquam rectius ante conuertit „er hat hierueber noch keine bestimmte ansicht geaeussert."

an infinitum, num motum an immobile; ea autem uerba perperam a Simplicio intellecta esse quasi Theophrastus dixisset illud principium a Xenophane priuatum esse et finibus et infinitate, et motu et immobilitate. Quae si reuera ita se habent, aut Theophrastum parum distincte sententiam exposuisse nobis credendum erit, aut Simplicium interdum haud mediocri leuitate et temeritate fuisse. Equidem a Zellero et Ueberwegio minus recte ea uerba intellecta esse statuere malim, quam ea quae dixi Theophrasto aut Simplicio imputare. Obstat enim illorum interpretationi uox *καί,* pro qua *ἀλλά* exspectaremus; obstat, quod desideratur uox *οὐχ* ad *ὑποτίϑεσϑαι*. Mihi certe non est dubium, quin ea sententia, quam illi in uerbis Theophrasti inesse posse sibi persuaserint, graece sic exprimatur: *μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν ὑποτίϑεσϑαι μέν, ἀλλ' οὐχ ὑποτίϑεσϑαι οὔτε πεπερασμένον οὔτε ἄπειρον κ. τ. λ.* Verum non solum ratione grammatica locum ita interpretari uetamur, sed etiam eo, quod Xenophanes uersu apud Simplicium in subsequentibus seruato distincte et diserte *τὸ ἕν* immobile esse statuit. fragm. IV Mull:

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδέν,
οὐδὲ μετέρχεσϑαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ.

Quomodo huius uersus sententia conciliari possit cum Xenophanis placitis a Simplicio et scriptore libelli traditis, in annotationibus (p. 12) exposui. Deinde quod Zeller pro certo affirmat non totam placitorum Xenophaneorum descriptionem niti Theophrasti auctoritate, quia post prima illa uerba Simplicius usus sit oratione recta, hoc non ita comparatum esse, ut pro explorato haberi possit, iam ante Zellerum Brandis recte monuit p. 17: „Simplicium autem nescio cur alium quam Theophrastum esse secutum opiner, cum et initio huius prae se ferat auctoritatem, atque se eam deseruisse, ad aliamque se adplicuisse, ne uno quidem significet uerbo; quod enim ab indirecta ad directam transeat orationem, id et ipse et alii, contextus serie nihil mutata, facere solent, quo commodius decurrat oratio." Huc adde, quod in hac ipsa adumbratione tale quid iterum occurrit: *ἀλλὰ τὸ μὲν ὅμοιον ἀπαϑές φησιν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον γεννᾶν ἢ γεννᾶσϑαι προσήκει τὸ ὅμοιον ἐκ τοῦ ὁμοίου· εἰ δ' ἐξ ἀνομοίου γίνοιτο, ἔσται τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος.* Ueberweg autem l. l. male accommodatam esse arbitratur ad Theophrastei libri rationem hanc de deo Xenophaneo expositionem. At primum difficile est de libro perdito eiusque consilio iudicium facere, cum prorsus ignoremus, quo scriptor occasione oblata a proposito interdum declinare potuerit, deinde uero tota hac expositione, quam nimis uerbosam esse nemo statuet, nihil affertur nisi argumenta quibus et philosophiam Xenophaneam abhorrere a quaestionibus physicis comprobetur et admodum breuiter qualitates per sersatis obscurae explanentur, quas *τῷ ἑνί* a Xenophane tribui initio Theophrastus dixerat. Mihi certe permirus uidebitur consensus ille, quo explicatio quae sequitur concinit cum Theophrasti uerbis, siquidem Zeller et Ueberweg alteram partem ex alio fonte haustam esse recte statuerint. Accedit quod non solum ante illam explicationem paullo accuratiorem Simplicius Theophrastum laudat, sed etiam post eam de sententiis Nicolai et Alexandri mentionem facit. Cur negemus uerba in medio posita niti eius auctoritate, cuius nomen initio memoratum est?

Zeller postquam comparatis Simplicii uerbis cum altera parte libelli nostri euicisse sibi

nisus est Simplicium ex eo libello hausisse, concedit a Simplicio quidem libelli scriptorem fide dignum esse habitum eique persuasum fuisse capp. III. et IV. pertinere ad Xenophanem; quod autem Simplicius ita iudicauerit, non ita comparatum esse, ut nos propterea de fide scriptoris et de inscriptione περὶ Ξενοφάνους dubitare uetemur. Auctoritatis pondus tam magnum Simplicio tribuere ne mihi quidem in mentem uenit; at nisi argumentis satis idoneis rem aliter se habere comprobari poterit, ei, qui illam libelli partem ad Xenophanem referunt, suo iure in hac disceptatione ad Simplicium prouocabunt.*) Quin etiam, si ea quae in utramque partem disputantur pari momento esse apparuerit, Simplicii testimonium et iudicium ea esse auctoritate, ut rem decernant, statuere non dubito.

Porro Zeller: „Erwaegen wir noch dass Aristoteles eine so eigenthuemliche annahme (τὸ ἕν esse nec finitum nec infinitum) an stellen wie metaph. I, 5. phys. I, 3 nicht uebergangen haette, bemerken wir, dass noch bis in's dritte jahrhundert unserer zeitrechnung die gelehrtesten ausleger des Aristoteles ueber das princip des Xenophanes streiten, ohne jener annahme und der aristotelischen schrift, die sie enthaelt, zu erwaehnen, so wird klar sein, wie wenig wir in unserer darstellung einen urkundlichen bericht ueber die lehre des Xenophanes suchen duerfen." De metaph. I, 5 iam disputauimus; quod attinet ad alterum locum, mirum esse concedo decreti Xenophanei illic mentionem factam esse nullam, immo adeo mirum, ut huius unius loci ratione habita aliquis concludere possit Xenophanem omnino nihil docuisse de eo quod unum est; nam ne nominatur quidem ibi Xenophanes. Atqui Aristoteles ipse Xenophanem omnium primum ἑνίσαι tradit. Ergo quod in uniuersum tam raro eum memorauerit, eo loco plane omiserit, nulla alia caussa factum puto, quam quia huius philosophi rationem perobscuram, fortasse sibi ne constantem quidem contempserit et pro nihilo duxerit. Nonne enim pariter mirum est Xenophanem ne uno quidem uerbo memoratum esse Phys. I, 2 p. 184, b, 15: Ἀνάγκη δ' ἤτοι μίαν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἢ πλείους, καὶ εἰ μίαν, ἤτοι ἀκίνητον, ὥς φησι Παρμενίδης καὶ Μέλισσος, ἢ κινουμένην ὥσπερ οἱ φυσικοί. Ex ipsius enim Xenophanis fragmento a me saepius laudato manifesto apparet τὸ ἕν immobile ab eo esse dictum. Deinde quod commentatores Aristotelis doctissimi de Xenophanis principio inter se dissident, ipsa doctrinae obscuritate factum esse credo, cum aliis uersibus aliud expressum esse uideretur. cf. Brandis gesch. der entwickel. der griech. phil. p. 84. Atque uel Simplicium, etiamsi fol. 5, b; 6, a e Theophrasto

*) Equidem unius Simplicii auctoritate adducor, ut de fide inscriptionis in cod. Vatic. 1302 non dubitans libellum Aristoteli uolgo tributum a Theophrasto conscriptum esse cum Brandisio existimem eumque eis adnumerandum puto, qui hypomnematici dicantur. Quod autem nonnulla, quae in libello occurrunt, indigna Theophrasto habentur, tum unum et alterum offensionis quicquam habere nego, tum si quandoque bonum Homerum dormitasse Horatius uidetur recte iudicasse, similia ferri posse putauerim in libello Theophrasteo, praesertim cum πρὸς ὑπόμνησιν οἰκείαν compositus esse uideatur. Quid, quod in libris illius philosophi, qui abhinc paucis annis a permultis, nunc a nonnullis summus omnium philosophorum habetur, Hegelium dico, aduersarius eius acerbissimus non sine ueritatis quadam specie inesse quaedam ostendit, quae mirum in modum pugnent cum praeceptis logicis. Vide „die beiden grundprobleme der ethik von A. Schopenhauer," praef. p. XXI seqq.

certius aliquid afferre uideatur, tamen locis superioribus Xenophanis de uno sententiam prorsus aliter descripsisse supra ostendi. Quod autem nec Nicolaus nec Alexander libelli Aristotelici mentionem faciunt, si Zeller ad hunc Simplicii locum referri uoluerit — id quod ex annotatione apparere uidetur — non uideo, cur aliquis illic, ubi Simplicius utriusque opinionem perpaucis uerbis tetigerit, illam mentionem desiderare possit; sin autem ad alios locos,*) ubi nostro iure illius libelli mentionem exspectaremus, tam uariis caussis eam omitti potuisse crediderim, ut inde concludere non liceat libellum ab eis fide indignum esse habitum.

Pergit Zeller hunc in modum: „Und dieser ueberzeugung wird es nur zur bestaetigung dienen koennen, dass dieselbe auch von der alterthuemlich epischen form, in der Xenophanes geschrieben hat, keine spur zeigt, um statt dessen dem manne, welchem Aristoteles mangel an denkbildung vorwirft, der gewoehnlichen annahme zufolge eine dialektische eroerterung beizulegen, wie sie in so frueher zeit wohl kaum schon moeglich war.“ Nulla uestigia sermonis poetici in capp. III et IV reperiri etiam Theodorus Bergk dixerat p. 6: „Quae orationis similitudo (confert Simplicii locum cum altera libelli nostri parte) posset explicari, si Xenophanes pedestri scripsisset oratione, ita ut uterque Xenophanis sententiam atque placita uerbis uel plane uel leuiter immutatis ex ipso scriptore petiuisse censendus esset: at uersibus ille persecutus est haec placita, atque hic omnibus poesis luminibus et ornamentis reiectis tenuem et exilem disserendi rationem animaduertimus; itaque illa similitudo non poterit fortuita existimari, sed alter ex altero sua deriuauerit necesse est.“ Brandis quidem l. l. p. 83 seq. aliter hac de re iudicat; habet enim haec contra Bergkium et Zellerum: „Diese letztere behauptung muessen wir von vorn herein durch nachweisung solcher augenscheinlich poetischer und den bruchstuecken des Kolophoniers entsprechenden formen beseitigen.“ Dicit autem haec esse uestigia dictionis Xenophaneae p. 977, a, 17 *τεχνωθῆναι . . . . τεχνῶσαι* — 25 *τὸν θεὸν ἁπάντων κράτιστον καὶ βέλτιστον* — 27 *κρατεῖν μὴ κρατεῖσθαι* — 37 *ὁρᾶν τε καὶ ἀκούειν . . πάντῃ* — b, 16 *οὔτε ἀτρεμεῖν οὔτε κινεῖσθαι*. Harum locutionum unum illud *ἀτρεμεῖν* aliquo momento esse existimo, et Brandis ipse hanc uocem maxime premit (p. 85 not.). Praeter hanc uocem uerbum *τεχνοῦν* e carmine Xenophanis petitum esse non dubitarem statuere, nisi idem in cap. I, ubi Melissi decreta exponuntur, occurrere uidissem p. 974, a, 22. Sed addere licebit *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ πάντα δύνασθαι* p. 977, a, 35, cf. quae ad hunc locum annotauimus. At ut paene nulla sint aut prorsus nulla in cap. III Xenophaneae dictionis uestigia, inde non licet cogere placita huius philosophi ipsa illic aut non tradi aut non ita tradi, ut eorum descriptionem fide indignam esse appareat. Atque ne Bergk quidem haec effici uolebat ex eis, quae obseruauit. Sint scriptoris uerba omnia, per me licet etiam quaedam a r g u m e n t a t i o n i s membra, detraxerit ille decreta Xenophanis e sua simplici maiestate in has angustias, in haec dumeta, dummodo sententias ipsas ad Xeno-

*) Qui praeter illum esse possint, ignoro. cf. Karstenii index auctorum, qui de Xenophane memorarunt. p. 201 seqq.

phanem referendas esse statuatur. cf. Brandis l. l: „Moeglich, dass unser berichterstatter zusammenzog, was sich im lehrgedicht vereinzelt oder lose verbunden fand, — dass er demselben die hauptsachen entlehnte, dafuer zeugen die vorher hervorgehobenen poetischen ausdruecke.“ Illa sermonis poetici uestigia quidem, cum pauca sint eaque nonnullis fortasse dubia, tanti momenti esse negauerim; sed ubiubi nulla ansa praebetur dubitandi, num fide dignus sit auctor, suspicari non licere credo, pro ueris falsa nobis referri. Num statuamus scriptorem, quisquis est, animi caussa decreta tenebris circumfusa excogitasse, nugas sollertissimas sibi finxisse, conclusiunculas uafras nexuisse eo consilio, ut attractis superciliis et fronte rugosa postea impugnaret, quae antea ipse alucinatus esset? Nonne uerebimur talia crimini dare scriptori, quem Melissi*) et Gorgiae decreta satis accurate tradidisse constet? cf. Ueberweg p. 108.

Deinde quod Zeller ex Aristotelis iudicio, qui Xenophanem μικρὸν ἀγροικότερον uocauerit, sequi contendit, ut Xenophanis non possit esse talis disputatio dialectica, facile eo refellitur, quod talium disputationum fragmenta etiamnunc habemus profectarum ab eo philosopho, quem idem Aristoteles eodem loco (met. I, 5 p. 986, b, 26) pariter ac Xenophanem μικρὸν ἀγροικότερον esse dixit. Cur uero paullo ante Parmenidem idem fieri potuisse negandum sit, quod aetate Parmenidea factum esse certissimis testimoniis constat, non uideo.

Iam postquam perlustraui omnia argumenta, quibus Zeller capp. III et IV non pertinere ad Xenophanem euincere studet, tantum abesse puto, ut cum Ueberwegio argumentationem Zellerianam dilui posse negemus**), ut ne unum quidem argumentum allatum esse appareat, quin aut refutatum aut dubium aut leue esse uideatur.

At Zeller, qui ad Xenophanem omnino non pertinere capp. III et IV arbitratur, ne de Zenone quidem quae fide digna essent in eis tradi contra Ueberwegium firmissimis demonstrauit argumentis. Verum omnibus illis argumentis (pp. 373—376) quae repeti nihil attinet eorum sententiam confirmari apparet, qui ad Xenophanem illa capita referunt. Vide p. 374: „Unsere Schrift behauptet mithin von Zeno, was nur von Xenophanes gesagt

---

*) Vermehreni disputatione mihi non est persuasum scriptori fidem in tradendis Melissi placitis abrogandam esse; in percensendis nonnunquam eum parum acuminis ostendisse non nego.

**) Ueberweg p. 106: „Wenn aber in dieser beziehung das resultat der Zellerschen kritik unumstoesslich ist: so scheint uns dagegen etc.“ Quae uir doctus in annotatione dicit illos uituperans, qui uel post Zellerum cap. III ad Xenophanem pertinere arbitrantur, in Steinhartum certe non cadere euidens est: „die einen von diesen stuetzen sich nur auf ziemlich vage wahrscheinlichkeitsgruende, wobei sie die fuer eine historische kritik in betracht kommenden momente unbeachtet lassen (so Steinhart a. a. o.).“ Steinhart in prolegg. ad Pl. Parm. not. 10, ubi paucis Hegelium refellere studet, habet haec: „Indessen bezeugt schon Theophrast ganz in uebereinstimmung mit den angaben der aristotelischen schrift, Xenophanes habe gesagt, das eine sei weder begrenzt noch unbegrenzt, weder bewegt noch ruhend, und auch gruende fuer diese behauptungen aufgestellt, worin allerdings schon ein anfang von dialektik liegen wuerde. Dass in den sehr duerftigen bruchstuecken seines gedichtes dergleichen saetze nicht vorkommen, berechtigt nicht zu dem schlusse, dass er sie ueberhaupt nicht aufgestellt habe.“ Iniusta est Ueberwegii reprehensio, nam neque sunt leuia, quae Steinhart profert, neque erat quod illic, ubi de Parmenide agebat, uberius et fusius de Xenophane nostrique libelli fide disputaret.

werden konnte, und im zusammenhang damit schliesst sich auch die weitere ausfuehrung der zenonischen saetze in einer weise an Xenophanes an, die wir nicht fuer geschichtlich halten koennen" cf. not. 4. — Itaque si cui scriptorem nulla fide dignum habendum esse persuasum est, cur ei Zenonis placita illum tradere uoluisse uerisimilius sit quam Xenophanis, prorsus me fugere ingenue profiteor. Hoc enim ipse Zeller etsi non diserte concedit, concedit tamen eis ipsis, quae acute contra Ueberwegium disputauit, adumbrationem scriptoris multa decreta complecti, quae Xenophanis esse ex ipsius fragmentis et aliis certissimis testimoniis constet, nulla uel perpauca, quae Zenonis possint uideri.

Jahresbericht

über die

Königliche Landesschule Pforta

von

Ostern 1863 bis Ostern 1864.

I. Lehrverfassung.

a. Unterricht in Sprachen und Wissenschaften.

Ober-Prima.

Ordinarius: der Rector.

1) **Religion.** 2 Stunden. Insp. Niese. Im S. Römerbrief; im W. Kirchengeschichte, zweite Hälfte.
2) **Deutsche Sprache.** 3 St. Prof. Dr. Koberstein. Uebersicht der Geschichte der neuern deutschen Nationalliteratur von Opitz bis zum Anfang des 19. Jahrh.; Correctur deutscher Aufsätze und freie Redeübungen.
3) **Lateinische Sprache.** Im S. Tac. Ann. XIII bis XVI mit Auswahl, Cic. Or. c. 1—31; im W. Tac. Ann. I bis VI mit Ausw., Cic. de Off. I; Aufsätze, Exercitien, Disputirübungen, Extemporalien und Versübungen, 8 St. der Rector; im S. Hor. Epist. I, 14—20, im W. Sat. I, 1. 3. 4. 5. 7. 2 St. Prof. Dr. Keil.
4) **Griechische Sprache.** 6 St. Prof. Dr. Steinhart. Im S. Thuc. II, 1—50, im W. Soph. Philoct., cursorisch Hom. Il. XX. XXI. XXII; Correctur griech. Scripta und Extemporalien nebst Uebungen in der Versifikation.
5) **Geschichte.** 3 St. Prof. Dr. Corssen. Im S. neuere Geschichte, im W. alte Geschichte, erster Theil.
6) **Mathematik.** 4 St. Prof. Buchbinder. Im S. Repetition des gesammten Gebietes der Mathematik; im W. Progressionen, höhere Reihen, Combinationslehre, binomischer Lehrsatz, Functionen; Correctur schriftlicher Arbeiten und Extemporalien.
7) **Physik.** 2 St. Prof. Buchbinder. Im S. Mechanik der festen Körper, im W. Mechanik der flüssigen und luftförmigen Körper, Optik.

a

Unter-Prima.

Ordinarius: Professor Dr. Keil.

1) **Religion.** Mit Oberprima combinirt.
2) **Deutsche Sprache.** 3 St. (1 St. mit Oberprima combinirt) Prof. Dr. Koberstein. Uebersicht der älteren deutschen Nationalliteratur und Lectüre ausgewählter Stücke aus Hahns Lesebuche, Correctur deutscher Aufsätze und freie Redeübungen.
3) **Lateinische Sprache.** Im S. Cic. Tusc. I. Tac. Ann. IV, 56 bis V zu Ende; im W. Cic. Tusc. V. Tac. Ann. VI, 1—22, Aufsätze, Exercitien, Extemporalien und Versübungen, 8 St. Prof. Dr. Keil; Hor. Carm. I. II, 2 St., im S. Prof. Dr. Keil, im W. der Rector.
4) **Griechische Sprache.** 6 St. Oberlehrer Kern. Im S. Dem. Phil. I—III, im W. Soph. Electra, cursorisch Hom. Il. I. II; Exercitien, Extemporalien, Versübungen.
5) **Geschichte.** Mit Oberprima combinirt.
6) **Mathematik.** 4 St. Prof. Buchbinder. Im S. Gleichungen des 1. und 2. Grades, Kettenbrüche, diophantische Gleichungen, im W. Stereometrie; Correctur schriftlicher Arbeiten und Extemporalien, Wiederholung der früheren Abschnitte.
7) **Physik.** Mit Oberprima combinirt.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Professor Dr. Steinhart.

1) **Religion.** 2 St. Insp. Niese. Im S. Lectüre der katholischen Briefe; im W. Kirchengeschichte, erster Theil.
2) **Deutsche Sprache.** 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Im S. die Grundlinien der neudeutschen Prosodie und Verskunst; im W. Erklärung einiger Stücke aus dem Nibelungenliede. Daneben Aufsätze und metrische Uebungen.
3) **Lateinische Sprache.** 10 St. Im S. Cic. Verr. A. II. L. IV, 1—31, im W. Cic. pro Muren., Verg. Aen. X, Aufsätze, Exercitien, Extemporalien, Verse, Sprech- und Memorirübungen, 8 St. Prof. Steinhart; im S. Liv. XXI mit Auswahl, Dr. Volkmann, im W. XXXI bis XXXIII mit Auswahl, Dr. Benndorf, 2 St.
4) **Griechische Sprache.** 6 St. Im S. Dr. Volkmann, im W. Oberl. Dr. Kretzschmer. Im S. Herodot I mit Auswahl, Hom. Il. XII; im W. Lys. adv. Eratosth., Hom. Il. XIII. XIV; Moduslehre, Repetition der Casuslehre, Exercitien und Extemporalien.
5) **Geschichte.** 3 St. Prof. Dr. Corssen. Neuere Geschichte, im S. zweite Hälfte vom Anfang des achtzehnten Jahrhunderts, im W. erste Hälfte.
6) **Mathematik.** 4 St. Prof. Dr. Jacobi. Im S. Wiederholung der früheren arithmetischen Kurse und quadratische Gleichungen; im W. Logarithmen und die Elemente der ebenen Trigonometrie.

Unter-Secunda.

Ordinarius: Professor Dr. Corssen.

1) **Religion.** 2 St. Adj. Kletschke. Einleitung in das alte Testament (im S. die prophetischen, im W. die historischen und poetischen Bücher), verbunden mit Bibellesen; Bibelsprüche und geistliche Lieder.
2) **Deutsche Sprache.** 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Grundlinien des etymologischen Theils der deutschen Grammatik, nebst einer Uebersicht über die Hauptepochen der Entwickelungsgeschichte unserer Sprache; daneben Correctur deutscher Aufsätze und Declamirübungen.
3) **Lateinische Sprache.** 10 St. Prof. Dr. Corssen. Im S. Cic. pro Roscio Am., Liv. XXII., Ovid. Trist. mit Auswahl; im W. Cic. Lael. Sallust. Cat., ausgewählte Stücke aus Ovid. Tristien und Fast. I; die Syntaxis ornata nach Zumpt, Exercitien, Extemporalien und Versübungen.

4) **Griechische Sprache.** 6 St. Dr. Volkmann. Im S. Arrian. Anab. III m. A., Hom. Od. I. II; im W. Arr. An. V m. A., Hom. Od. III. IV; Casuslehre und Ausgewähltes aus der Moduslehre, Exercitien und Extemporalien.
5) **Geschichte.** 3 St. Prof. Dr. Corssen. Geschichte des Mittelalters, im S. zweite Hälfte von den Hohenstaufen an, im W. erste Hälfte.
6) **Mathematik.** 4 St. Prof. Dr. Jacobi. In der Arithmetik im S. die Lehre von den Proportionen und deren Anwendung, im W. die Potenzen und Wurzelgrössen; in der Geometrie im S. die Lehre von der Aehnlichkeit der Figuren, im W. die Lehre vom Kreise.

Ober-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Kern.

1) **Religion.** 2 St. Insp. Niese. Im S. die Apostelgeschichte, im W. die synoptischen Evangelien.
2) **Deutsche Sprache.** 2 St. Adj. Kletschke. Aufsätze und Uebungen im freien Vortrag und im Lesen.
3) **Lateinische Sprache.** 10 St. Caesar de b. C. II und III m. A., Syntax, Exercitien und Extemporalien, 7 St., Oberlehrer Kern; Ovid. Metam. XIV und XV m. A. und Versübungen, 3 St., Prof. Dr. Keil.
4) **Griechische Sprache.** 6 St. im S. Dr. Benndorf, im W. Dr. Volkmann. Im S. Xen. Anab. III, 3 bis IV z. E., im W. lib. V, 1—8; unregelmässiges Zeitwort, Anfänge der Syntax, Exercitien und Extemporalien.
5) **Geschichte.** 3 St. Dr. Benndorf. Römische Geschichte, im S. zweite, im W. erste Hälfte
6) **Mathematik.** 3 St. Prof. Dr. Jacobi. Weitere Ausführung der Buchstabenrechnung und einfachen Gleichungen, Lehre von der Gleichflächigkeit geradliniger Figuren, Extemporalien, Correctur schriftlicher Arbeiten.

Unter-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Kretzschmer.

1) **Religion.** 2 St. Adj. Kletschke. Im S. ausgewählte Psalmen, im W. das Wichtigste aus den geschichtlichen Büchern des alten Testaments gelesen; Repetition des Katechismus, Bibelsprüche und geistliche Lieder.
2) **Deutsche Sprache.** 2 St. Oberlehrer Dr. Kretzschmer. Uebungen im Vortrag von Gedichten und prosaischen Erzählungen, Leseübungeu, Correctur der Aufsätze.
3) **Lateinische Sprache.** 10 St. Oberlehrer Dr. Kretzschmer. Im S. Caesar de b. G. VII erste Hälfte, ausgewählte Stücke aus Ovid. Met. IV, im W. Caesar de b. G. VII zweite Hälfte, Ovid. Met. VI m. A.; Wiederholung der Formenlehre, die Casuslehre und das Hauptsächlichste aus der Moduslehre, Exercitien, Extemporalien und Versübungen.
4) **Griechische Sprache.** 6 St. Dr. Benndorf. Repetition der Formenlehre, Verba in μι, das Wichtigste vom unregelmässigen Verbum und die Präpositionen; Lectüre in Jacobs' griech. Lesebuch; Exercitien und Extemporalien.
5) **Geschichte und Geographie.** 4 St. Dr. Benndorf. Brandenburgische und griechische Geschichte, Repetition der Geographie.
6) **Mathematik.** 3 St. Prof. Buchbinder. Die Anfänge der Buchstabenrechnung und deren einfachste Anwendung und für die Schwächeren Uebungen im praktischen Rechnen; die Lehre von der Congruenz der Dreiecke nebst den sich unmittelbar daran anschliessenden Lehrsätzen und Aufgaben.

Für das **Französische** bestehen 5 besondere von dem sonstigen Klassensysteme getrennte Klassen. In der Regel nehmen nur die Schüler der vier obern Klassen Theil; doch werden auch die Schüler der beiden unteren Klassen zugelassen, wenn sie eine angemessene Vorbildung für das Französische nachweisen.

Erste Klasse. 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Correctur schriftlicher Arbeiten und Durchgehen von Extemporalien. Daneben wurden ausgewählte Stücke aus La France Littéraire etc. par Herrig et Burguy gelesen.

Zweite Klasse. 2 St. Prof. Dr. Koberstein. Grammatische Uebungen, schriftliche und mündliche. Gelesen: Histoire de Napoléon par Ségur, Buch IX und der Anfang von Buch X.

Dritte Klasse. 2 St. Dr. Volkmann. Repetition der unregelmässigen Zeitwörter, Moduslehre; Charles XII par Voltaire, im S. Buch VIII, im W. Buch I, Scripta und Dokimastika.

Vierte Klasse. 2 St. Dr. Volkmann. Pronomen und unregelmässiges Zeitwort; Lectüre grösserer Stücke aus Leloup franz. Lesebuch; Scripta und Dokimastika.

Fünfte Klasse. 2 St. Dr. Volkmann. Formenlehre bis zum regelmässigen Zeitwort einschl.; Uebungen im Lesen und Uebersetzen aus Leloup franz. Lesebuch; Dokimastika.

Den **hebräischen** Unterricht ertheilte in der ersten Klasse Prof. Steinhart, in der zweiten und dritten Adjunkt Kletschke.

Prima. 2 St. Repetition der Grammatik, Scripta, Extemporalien, Vocabellernen. Gelesen auserlesene Stellen aus der Genesis, dem ersten Buche Samuels und einzelne Psalmen.

Ober-Secunda. 2 St. Repetition der Laut- und Formenlehre, Einübung der unregelmässigen Verba, Scripta, Extemporalien, Vocabellernen. Gelesen ausgewählte Stücke aus Gesenius Lesebuche.

Unter-Secunda. 2 St. Lautlehre und Formenlehre bis zum regelmässigen Verbum einschliesslich, Lese- und Schreibübungen, Paradigmen.

b. Unterricht in den Künsten.

1) **Musik und Gesang.** a) Der Gesangunterricht, unter Leitung des Cantors und Musikdirectors Seiffert, ist für alle öffentlich. Sämmtliche Schüler, welche nicht zum Kirchenchor gehören, sind in 5 Singklassen vertheilt, von denen jede wöchentlich eine Unterrichtsstunde hat. Eine Auswahl von allen bildet den Kirchenchor, aus zwei Abtheilungen von etwa 50 Sängern bestehend, unter zwei Praecentoren, welcher beim Gottesdienst die Gesänge zur Liturgie und bei andern öffentlichen Gelegenheiten die Gesangpartieen ausführt. 1 St. wöchentlich, und ausserordentliche Stunden nach Bedürfniss. — b) Der Unterricht in der Instrumentalmusik wird theils vom hiesigen Musikdirector, theils von Musikern aus Naumburg privatim ertheilt.

2) **Zeichenunterricht.** Für den öffentlichen Zeichenunterricht, an welchem alle Untertertianer und aus den übrigen Klassen diejenigen, welche Anlage und Neigung zum Zeichnen haben, Theil nehmen, sind vier Klassen eingerichtet. Jede dieser hat zwei wöchentliche Lehrstunden, worin sie sowohl in den Gesetzen der Perspective unterrichtet als practisch in den verschiedenen Gattungen des Zeichnens geübt werden. Alle Zöglinge haben Gelegenheit, sich durch Privatunterricht weiter fortzubilden. Gegenwärtig nehmen 143 Schüler am Zeichenunterrichte Theil.

3) **Schreibunterricht.** Der Unterricht in der Schreibkunst, welchen der hiesige Kirchner und Schreiblehrer Karges ertheilt und bei welchem im Deutschen nnd Lateinischen die Vorschriften von Heinrigs, im Griechischen die von Grasshoff zu Grunde gelegt werden, ist auf die Schüler von Ober- und Untertertia beschränkt, welche in vier Abtheilungen, wovon jede wöchentlich eine Lehrstunde hat, getheilt sind. Die guten Schreiber können vom Klassenlehrer dispensirt, die schlechten zum Besuch beider Abtheilungen ihrer Klassen angehalten werden.

4) **Tanzunterricht.** Dieser Unterricht ward während der 6 Wintermonate vom October bis März, auf welche er zur Zeit beschränkt ist, von dem Tanzlehrer Bartels aus Naumburg in 12 wöchentlichen Lehrstunden ertheilt. Sämmtliche Zöglinge sind in 12 Abtheilungen gebracht, von denen jede wöchentlich eine Stunde hat. Die Uebungen sind nach einer methodischen

Stufenfolge vom Leichteren zum Schwereren geordnet, wobei in den untersten Abtheilungen die Regeln des äusseren Anstandes in der Haltung und den Bewegungen des Körpers, als Grundlage des gesammten Tanzunterrichts, gelehrt und eingeübt werden.

5) **Die Turn-Uebungen**, an welchen sämmtliche Zöglinge Theil nahmen, wurden vom Oberlehrer Kern geleitet und fanden wöchentlich zweimal im Sommer auf dem Turnplatze des Schulgartens, im W. in 2 Abtheilungen im Turnsaale statt. Auch wurde den Alumnen vom Oberlehrer Kern Schwimmunterricht ertheilt.

6) **Die botanischen Excursionen** wurden auch in dem verflossenen Sommer unter Führung des Prof. Buchbinder fortgesetzt.

c. *Aufgaben zu freien Ausarbeitungen.*

A. Deutsche.

I. in **Prima**: Im S. 1) a. Inwiefern trugen die grossen Kampfspiele der Griechen und namentlich die olympischen dazu bei, dass das Bewusstsein nationaler Einheit unter den verschiedenen Stämmen und Staaten dieses Volkes erhalten und immer neu belebt wurde? b. Charakterschilderung des Cassius nach Shakespeare's „Julius Caesar". 2) a. Ist es erlaubt, die Worte in Göthe's Tasso: „Es bildet ein Talent sich in der Stille, Sich ein Charakter in dem Strom der Welt", in der ganzen Schärfe des in ihnen enthaltenen Gegensatzes gelten zu lassen? b. Kann der Neidische wohl je wahrhaft glücklich sein? — Im W. 4) a. Freie Wahl eines Thema's. b. Charakterschilderung der Gräfin Terzky nach Schillers „Wallenstein". 5) a. Woher kommt es, dass Bürgerkriege gewöhnlich mit viel grösserer Erbitterung geführt werden und viel blutiger sind als Kriege zwischen zwei verschiedenen Nationen? b. Ueber das Anziehende, Bildende und Belehrende, das für den Jüngling in der Beschäftigung mit der vaterländischen Geschichte liegt. 6) Inwiefern war die Verbannung aus dem Vaterlande bei den Griechen und Römern in der Regel eine viel härtere Strafe, als sie es bei den europäischen Völkern der Jetztzeit ist? 7) Inwiefern findet die Vorschrift, von den Todten dürfe man nur Gutes aussagen, Einschränkung?

II. in **Ober-Secunda.** Im S. 1) Eine metrische Arbeit. 2) Was trennt auf die Länge zwei Völker mehr, ein hoher Gebirgszug oder ein Meer? 3) Woraus erklärt sich die Anhänglichkeit an den Ort, wo wir unsere Knaben- oder Jünglingsjahre verlebt haben? — Im W. 4) Inwiefern können Reisen für einen studierenden Jüngling Mittel der Bildung werden? 5) Versuch einer Charakterschilderung des Werner Stauffacher nach Schillers „Wilhelm Tell". 6) Ein metrischer Versuch. 7) Angabe des Inhalts von dem 8. Liede der Nibelungen und prosaische Uebersetzung von Strophe 913—922.

III. in **Unter-Secunda.** Im S. 1) Beschreibung der Rudelsburg und ihrer Umgebungen. 2) Schilderung der Festlichkeiten in Pforta am 21. und 22. Mai 1863. 3) Welche Freuden und Genüsse bietet uns der Herbst vor den übrigen Jahreszeiten? — Im W. 4) Jeder erzählt seinen Lebenslauf. 5) Inwiefern ist das Eisen das nützlichste aller Metalle? 6) Schillers Ballade „der Taucher" als Prosaerzählung. 7) Möchtest du im Sommer lieber in einer grossen Stadt oder auf dem Lande leben, und wenn du dich für das Letztere entscheidest, warum und unter welchen Bedingungen?

Die Abiturienten haben die Themata bearbeitet: zu Michaelis: Inwiefern können auch überstandene Widerwärtigkeiten und Leiden in der Erinnerung angenehm und wohlthuend sein? — zu Ostern: Was trennt auf die Länge zwei Völker mehr, ein hoher Gebirgszug oder ein Meer?

B. Lateinische:

I. in **Ober-Prima:** 1) Catonis Uticensis et Othonis mortes voluntariae inter se comparantur. 2) Sallustii rerum scriptoris aequus erga nobilitatem et plebem animus. 3) Res Atheni-

ensium inter bella Persica et Peloponnesiacum breviter adumbrantur. 4) Laus Vercingetorigis. 5) M. Annaeus Seneca, qualis apud Tacitum describitur, quibus in rebus et laudandus est et vituperandus? 6) Rectene Livius dicit, omnes deinceps Romanorum reges excepto uno Tarquinio Superbo conditores partium certe urbis numerari? 7) Quo jure et quibus de caussis Tacitus (Ann. IV, 32) laborem suum annalium componendorem artum et inglorium dicit? 8) Horatii judicium de Lucilio (Sat. I, 4. 10. II, 1). 9) Horatii animus in senectute mutatus ex epistulis ejus demonstratur. — 10) Superbia Xerxis apud Herodotum.

